Observationum in M.V.Martialem particulae quinque.



OBSERVATIONUM IN MARCUM VALERIUM MARTIALEM PARTICULAE QUINQUE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

Cal. Febr. A. MDCCCLXVI.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

OSCARUS GUTTMANN,

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

R. FOERSTER, REG. SEM. PHIL. SENIOR.
P. CZENSNY, PHIL. CAND.
E. EICHNER, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE,
TYPIS LEOPOLDI FREUND.
MDCCCLXVI.

FRIDERICO HAASE

HUNCCE LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

Operam navavi scriptori qui neque in scholis legi solet neque a VV. DD. post Schneidewinum — quod equidem sciam — est tractatus. Itaque non alienum a re esse arbitror narrare qua via ad hunc potissimum sim ductus poetam difficilem profecto et plenum rerum reconditarum obscurarumque. Quod eo libentius me facere profiteor quod eo exsolvam debitum quoddam maximum manibus viri praestantissimi Friderici Schmiederi rectoris olim gymnasii illustris Bregensis. Incuriosius enim quam studiosius perscrutans bibliothecam regiam illius gymnasii incidi in commentarios ad M. Valerium Martialem quos locupletissimos scripsit Fr. Schmiederus reliquitque posteritati gratum sed nimis neglectum munus. Nam postquam Schneidewinus promisso suo non satisfecit, qui in editionis suae prioris Martialis praefatione pp. XI. XII. pollicitus erat, se additis quae addenda demptis quae demenda refictis denique quae refingenda visa fuerint Schmiederiana in publicum editurum, nemo amplius de iis curavit sed abscondita adeoque intacta manserunt ut memoria eorum fere aboleverit. Tamen quantum pretii iis commentariis sit tribuendem non me ipse faciam testem sed Schneidewinum advocabo, virum cum aliis operibus excellentem tum inter Martialis editores summum qui Schmiederi commentarios bonae frugi plenissimos nuncupavit. Praeter hoc ipsum Schmiederi opus contigit mihi eximia benignitate liberalitateque viri praestantissimi mihique sem-

per colendi Caroli Friderici Schoenwaelderi professoris ut largae compos fierem eorum librorum copiae quos Schmiederus in interpretando Martiali adhibuit. His igitur copiis felicissime instructus paratusque adii Martialis epigrammaton libros multumque cum difficultatis tum voluptatis utilitatisque percepi a poeta facetiis abundante ingeniosissimoque, quamvis nequam ingenioso. Quorum studiorum fructum lector benevole hic adspicis primum quem miti volo legas animo, et satis profecisse mihi videbor dummodo iudicaveris me non immerito cum Martiali profiteri posse:

Sunt bona sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,
quae legis hic — aliter non fit, Avite, liber.

VITA.

Natus sum Oscarus, Carolus, Augustus Guttmann a. d. III. Id. Jan. an. h. s. XLIII Schwidnitzii, oppido in Silesia inferiore sito, patre Julio, Bregensis gymnasii nunc rectore, matre Ludovica e gente Fritze. Fidem profiteor evangelicam. Gymnasia frequentavi tria, primum Ratiboriense, deinde Swidnitziense, postremo Bregense. Novem igitur sic peractis annis, duodeviginti annos natus, postquam omnes percurri discipulorum ordines maturitatis testimonium adeptus mense Aprl. a. h. s. LXI hanc almam Viadrinam petivi ex patris dilectissimi voluntate philologiae studio me dediturus. Itaque numero civium academicorum Vratislaviensium adscriptus a Viro Illustrissimo Braniss qui fasces tunc tenebat academicos rite nomen dedi apud V. Ill. Stenzler ordinis philosophorum id temporis decanum. Ex quo tempore scholis interfui VV. Ill. Bernays, Braniss, Haase, Hertz, Junkmann, Luebbert, Rossbach, Stenzler, Westphal, quibus VV. DD. gratias ago, quas debeo, maximas; inprimis autem Haasio qui me magna cum liberalitate domi suae excepit et inter eos esse voluit quibus familiarius uti solet adolescentibus. Quum per tria semestria studiis philologicis operam navassem contigit mihi quarto ineunte semestri ut a VV. Ill. Haase et Rossbach rectoribus in seminarium regium philologicum reciperer cuius per tria semestria magna cum mea utilitate eram sodalis ordinarius. Deinde domum redii Bregas ut per annum insequentem quibus iam antea operam navavi studiis totum me darem. Reversus Vratislaviam mense Octbr. a. h. s. LXV a V. Ill. Reinkens qui adhuc fasces tenet academicos receptus sum apud V. Ill. Roemer philosophorum ordinis h. t. decanum rite nomen professus.

THESES.

1. Fur, Hecub. v. 750. (Kirchhoff.) pro ea quae in mss. est voce γραφεὺς scribendum esse contendo βραβεύς.

2. Eur. Hec. vss. 409, 410. spurios esse contendo, contra eosdem versus genuinos Alc. vs, 212, 213, quos pro spuriis habuit Kirchh.

3. Plautum graeca vocabula non temere immiscuisse contendo sermoni latino, sed raro iis usum esse et ita tantum ut aut ioci aliquid inde capesseret aut vim propriam graecorum vocabulorum non satis bene latinis reddere potuerit.

4. Waltherum quem dicunt »Von der Vogelweide« nulli dico cedere poetae lyrico nec antiquioris temporis nec recentioris.

5. Historiae cognitionem in gymnasiis non tam pueros ita docendos dico ut memoriam exerceant quam ut ad virtutis cupidinem patriaeque amorem impellantur.

Pars I.

Jam ab initio quum ad quaestionem de dativi usu apud Martialem accederem, conscius mihi eram, non fore ut de indole atque natura hujus casus novi aliquid invenirem, sed id potius agendum existimavi ut quo in usu dativi poeta frequens, in quo rarus fuerit, omnino quem in modum eum adhibuerit exponerem, Itaque non tam cognoscendae ex poeta dativi naturae, quam poetae ex cognita dativi natura consulere volui. Sed tam arcte ars grammatica connexa est cum scriptorum interpretatione ut si uni profueris non est quin alteram adjuveris. Primum enim quum sit, scriptoribus inter se comparatis normas et leges grammaticas linguae alicujus constituere, secundum est quaerere de singulis singulatim qualem quisque scriptor in praeceptis et legibus linguae observandis se praestiterit. Quae quidem quaestio obrussa quasi est eorum quae a grammaticis contenduntur verane an falso sint observata. Ubi enim aliquid verum erit et recte observatum, quae ei repugnent non invenientur, ubi autem perverse regula aliqua grammatica aut definitio erit data, verbi causa ubi casus alicujus definitio male erit descripta in tam largo omnis scriptoris exemplorum numero necesse est sint nonnulla quae huic definitioni repugnent. Opinione igitur ductus non inutile quid me esse acturum proposui mihi colligere et componere, quidquid Martialis dativo usus sit Quoniam vero ut hoc fieri possit necesse est profiteri quam de dativi natura sententiam pro vera cognitam sim secutus definitionem hujus casus eam accipere me dico, quam Haase prof. ill. in scholis de l. l. praecipere solet. Significat tertius casus substantiam eam, in quam verbum cursu suo dirigitur ita ut non ipsa impleat actionem verbi i. e. ejus sit objectum sed ut extra eam sit positus terminus ac finis actionis.

Conjungitur dat. cum simplici verbo „esse“.

Maxime tertii casus significatio, quam esse diximus apparet iis in locutionibus ubi simplex verbum esse cum

eo coniungitur.[1]) Nam si dicimus »est mihi res« actio dirigitur in personam, si dicimus »res est laudi« finis actionis re continetur. Prioris locutionis exempla dati. quem dicunt possessivi permulta in Martiali invenies quum cujusvis generis res ita poni liceat dummodo segregatae a persona possidente cogitari possint ita ut directionis finem in ea habeant. Itaque res quae ipso insunt in homine ut quae partes exprimunt corporis aut animi aut quae vitam constituunt, si homini esse dicuntur cum adiectivis coniunguntur aut alio modo accuratius definiuntur. Ejus modi dicta a Mart. sunt haec: »sunt mihi«: dentes quattuor ep. l. I. 19. 1. dentes tres II 41, 6. crura pilis horrida II 36, 5. crura simulent quae cornua lunae II 35, 1. barba reorum II 36, 3. barba cana IV 36, 1. latus invalidum III 46, 16 capilli illinc et hinc V 49, 4. coma nigra IV 36, 1. comae longae IV 45, 8. cor non est III 27, 4. gula ingenua VI 11, 6. nasus quantus VI 36, 1. mentula tam magna VI 36, 1. m. sesquipedalis VII 14, 10. culus quam macer III 98, 1. lanugo dubia X 42, 1. facies de qua VII 18, 1. isti vultus IX 65, 3. forma ista IX 103, 5. lingua debilis X 65, 10. os blaesum X 65, 10. ingenium mitius ep. 10, 6. ing. quantum ep. 14, 4. ing. pusillum IX 50, 1. ing. equitis V 27, 1. natura tua VI 83, 5. si sensus est (i. e. credo: non est sensus.) VII 95, 16. si cauda foret Ap. 202. mens eadem X 20, 9. m. volsa II 36, 6. mores hi VI 83, 4. vita proba I 4, 9. aetas brevis VI 29, 7. genus equitis V 27, 1. consules trecenti (i. e. anni.) III 93, 1. triginta quattuorque messes tecum XII 34, 1.

Praeter haec, omnia quae insunt corpori aut animo sive natura effecta sive casu sic esse alicui dici possunt: pudor qui X 6, 8. pudor non est III 27, 4. pudor sit XII 63, 3. ira quanta IV 74, 2. si qua fides V 19, 1. fiducia major VII 6, 9. vis haec II 53, 9. verba fortia III 46, 10. sitis parca Xn. 116. s. sana VI 47, 8. odor alienus II 12, 2. vitium non leve VII 18, 4. amor tantus IX 79, 3. recti reverentia tanta XI 8, 1. verae amicitiae XI 44, 2. animi probitas tanta XI 103, 1. fervens hemitritaeus XII 90, 2. nonnulla gratia IX 26, 5. major gratia IV 29, 3.

Alterum rerum genus est quas persona non in se ipsa habet, sed quas possidet extra se, seu quae manu capiuntur et oculis cernuntur, seu quae animo accipiuntur aliunde allatae, seu denique est conditio quae intercedit inter personam possidentem et rem aut personam alteram.

---

[1]) Cf. Ruddim. inst. lat. vol. II. II 23. Ter. Phorm. II 4, 14. Suus cuique mos est. Reisig, schol. lat. § 374. Grotef. gramm. lat. 10 Reg. 2. al.

Huic generi adnumeres locos qui sq.: domus I 108, 1. VII 72, 1. cella IX 73, 4. jugera III 31, 1. togula IV 30, 3; 34, 1. IX 100, 3. toga XI 32, 1. X 18, 4. cisterna III 56, 1. turtur Xn. 53. boleti III 60, 5. lana Ap. 133. Cerretana (sc. perna) Xn 54. Libycae volucres Xn. 95. pensio III 38, 6. libellus IV 10, 1. pagina I 4, 9. chartae XI 15, 1. vestis Ap. 71. VIII 3, 10. lacernae VII 92, 7. VIII 58, 1. calceus VII 32, 2. hora XI 50, 1. nox VIII 50, 2. secretum XI 45, 4. Ephesos X 68, 1. rus IX 97, 7. XI 18. 2. serpens VI 92, 1. fata XI 69, 8. alea Ap. 15. passer Ap. 77. nihil II 77, 7. nomina XII 18, 12. quadrans II 44, 4. sestertia centum II 63, 1. quadraginta s. V 25, 1. sex milia IV 51, 1. denarius unus II 51, 1. joci X 35, 24. gloria VIII 55, 13. rixa I 36, 3. modus VIII 64, 15. lis II 32, 1. VI 19, 2. conditio XI 52, 2.

Ab hisce non sejungendi sunt loci in quibus personas eadem constructione videris usurpatas ac si essent res, quod haud mirandum, sunt enim personae ejus generis quas judices finem existendi non in se ipsis habere sed in alteris, verbi causa servus, quamvis et ipse homo, tamen domino esse dici potest, non enim aliter ac res in ejus est possessione. Neque alia est ratio si nomina propria posuit poeta, aut si dixit: Quis mihi qui nectar misceat alter erit? (IX 36, 12.) Cf. VIII 75, 6. IX. 87, 5. (servulus). I 54, 2. amici III 5, 7. Xn. 34 coniunx IX 66, 1. XII 97, 1. uxor. VI 27, 3. nata III 95, 12. famuli XII 86, 1. puer. Ap. 205. XII 6, 6. dux. V 65, 12 est qui possit vincere. V 38, 6. Pollux (si non). VIII 7, 10. Corinna (si qua).

Jam vero si quaerimus quinam occurrant personarum dativi, longe plurimis locis »est mihi« vel »est tibi« dictum inveniemus, praeter quas apud Mart. hae pronominum formae nobis occurrunt: »nobis« III 46, 6. Xn. 45. IX 100, 3. »illi« III 5, 7. »neutri« III 38, 6. »cui« VIII 3, 10. »quibus« II 77, 7. »cuique« IX 79, 4. »duobus« I 36, 3. Substantiva appellativa eo modo adhibita invenies haec: »Tonanti« VI 83, 5. »Musae« IX 26, 5. »Numae« X 35, 14. X 18, 2. »Bromio« IV 45, 8. »Amyclis« IX 103, 5. Notiones »persona« »deus« »homo« al. suppleri debent h. l. VI 29, 7. »immodicis«, VIII 50. »superis«, VIII 75, 6. »domino«, IX 3, 4. »cunctis tuorum«, XII 63, 6. »poetae«. Sed ut antea dixi personas ut res possessas usurpari, sic iterum animalia et res personarum possidentium loco adhibita videmus a poeta h. l. VIII 55, 13. Unde tuis, Libye, tam felix gloria silvis? ep. l. 10, 6. IV 74, 2. »feris«, XI 69, 8. »Dulichio cani«, ep. l. 14, 4. »ingenium subitis casibus«, IV 42, 9. »modus naribus uncis«, V 19, 1. »fides veris«,

VI 83, 4. »mores ignibus«, VIII 64, 15. »modus rapinis«, IX 6, 8. »cubili pudor«, IX 18, 12. »nomina Celtiberis terris«, I 29, 3. »pomis primis gratia«, XII 62, 13. »meritis gratia.«

Possessivum quoque dat. esse contenderim in formulis aliquot, ubi nos: »Was hast du zu thun mit?« vel similiter vertimus. Frequentissimam harum formularum vides hisce locis I 76, 11. »Quid tibi cum Cirrha?« II 16, 5. »c. medicis«, III 81, »c. femineo barathro«, II 45, 2. »c. ferro«, II 22, 1. »vobiscum«, V 38, 5. »c. fratre«, VIII 33, 23. »c. phiala«, IX 68, 1. »nobiscum«, IX 73, 8. »c. grammaticis«, X 100, 2. »c. litigante libro«, Xn. 43. »c. Libycis«, Ap. 56 »mecum«. Ex hac analogia Martialis dixit etiam: (III 60, 6.) »res tibi est cum rhombo, at mihi cum sparulo«, XI 2, 8. »nihil mihi vobiscum est«, V 56, 4. »n. sit illi cum libris Ciceronis.« Neque tamen sum ignarus hisce in locutionibus dativos haud immerito etiam commodi dat. dici licere. Duplex enim admittitur construendi ratio, quum aut verba: »est res mihi« arctius cohaerere et prius quam cum alia voce conjungi debere possis censere — (quod supra fecimus) — aut verba »est res cum« arctiorem inter se habere connexum arbitrari. Atque huic quidem sententiae haud scio an favere videantur loci nonnulli similem dicendi modum praebentes IX 66, 2. »quo tibi natorum jura trium (scil. petis) V 53, 2. »Quo tibi vel Nioben vel Andromachen« (scil. scribis). Ap. 17. »Accipe Mattiacas — quo tibi calva? — pilas?« Ap. 116. »Quo tibi decoctae nobile frigus aquae?« His enim dictis non est, quin commodi dat. vel eum quem ethicum dicunt cognoscas. Tamen quamvis similem habeant faciem formulae »quo tibi« et »quid tibi cum«, discrimen grave inter eas intercedit, quum in illa summum quaestionis contineatur voce »quo«, in hac vero voce »tibi«, itaque in illa prius »quo res est?« in hac recte: »quid tibi est« coniungendum mihi videtur. [1])

Restat, quod quidem attinet ad hunc tertii casus usum ut de loco agam, quo — me quidem judice — erravit Schneidew., qui altera sua editione Heinsii coniecturam accepit, XI 81, 3. scribentis: »Viribus hic operi non est, hic inutilis annis«, quum libri habeant »utilis«, quam lectionem Schneidew. quoque priore editione servaverat.

---

[1]) Cui accomodata esse videtur Ramshorni sententia qui. gram. lat. § 102, 2, not. »quo« vocem hic loco esse dativi »cui bono« contendit. Nam tum res eadem est atque in illo dicto: »res est mihi laudi« ubi »res est laudi« prius est cui additur dat. commodi »mihi«.

Priusquam igitur mutemus codicum scripturam necesse est probetur, eam tolerari nullo modo posse. At tantum abest, ut mutationem fieri opus esse statuam ut vix causam investigare possim ullam cur offenderit Heinsius. Nam si eum movit quod »utilis« adj. coniunctum vidit cum dat. rei, idem videre potuit Ap. 121 »utilis ovis« II 77, 2. XI. 52, 7. al. locis multis, si vero positio verborum ferenda ei non videbatur, mihi poetarum consuetudinem excedere non videtur et talis esse ut nullam admittat ambiguitatem, sed ut, quod voluerit poeta, facile intelligamus. Contra illa ipsa emendatio, quam Heinsius protulit vitio laborat magno. Nam licet interdum personae possidentis loco res sit posita hisce in locutionibus, nusquam tamen adeo a simplici dicendi ratione decessit poeta et rerum naturam pervertit, ut simul et rem personae loco et personam rei loco poneret. Quare emendatio quae peccat contra poetae loquendi modum repudietur oportet.

Praeter hunc tertii casus usum cum simplici verbo »esse« coniuncti, alterum, — cujus formulam »res est laudi« supra commemoravi, — ne nosse quidem Mart. videtur, nam nullum ejusmodi locum inveni et in omnibus epigrammaton libris frustra exemplum dat[i], quem dicunt »Dat. des Zwecks«[1]) investigare studebis. Nam in quo loco paulisper haesi (XI 57, 5.) »Omnia cum tibi sint dono concessa deorum« haud difficile »dono« formam non dat. esse, sed abl. instr[i]. cognosces. Alter vero locus qui huc adduci potest (I 116, 1.) »hoc nemus aeterno cinerum sacravit honori« aliam poscit interpretationem, nempe hic »honos« vox non rei sed personae notionem continet i. e. deo, qui »Honos« appellatur nemus sacratur.

Coniungitur dat. cum verbis quae finis significationem certam in se habent.

Simplicis verbi »esse« cum dandi casu constructioni affinis maxime est usus dat[i]., qui coniungitur cum iis verbis quae notionem verbi »esse« in se continent non quidem simplicem illam sed ut finis significationem in formula »est mihi« apparentem accuratius circumscribant. Huc et verba spectant simplicis verbi »esse« composita et omnia quae ad vim verborum »esse«, »contingere« revocari possunt. In horum numero apud Mart. quae enumerare satis erit invenies haec: adesse, deesse, superesse, fas, satis, necesse, opus esse, sufficere, stare, constare, restare, accidere,

[1]) Cf. Reisig, schol. I. § 373 not. Haasii 546. A. Grotef. gr. 1. § 38. Ruddim. inst. l. vol. II. II 24. Ramsh. gr. lat. § 120, 1, 2. Zumpt gr. lat. § 422. Schulz. gr. 1, § 265. al.

contingere, patere, latere, videri, apparere, dolere, virere, olere, fieri, nasci. Praeterea quae accuratius describere non inutile duco, haec: »oriri«, IX 39, 1. prima lux haec est orta Tonanti, »surgere« Ap. 167. fervida ne trito tibi pollice pusula surgat, »tumere« XI 96, 9. agedum tumeat tibi culcita lanis« cf. Ap. 162. »verminare« Ap. 23 si tibi morosa prurigine verminat auris, »splendere« VIII 77, 3. Assyrio semper tibi crinis amomo spl.; »spumare« Xn. 7. si spumet rubra conchis tibi pallida testa; »vernare« II 61, 1. cum tibi vernarent dubia lanugine malae. »prurire« XI 81, 4. Ergo sine effectu prurit utrique labor. »rigere« VI 56, 1. quod tibi crura rigent setis« cf. VI 73, 8. »nigrescere« XI 39, 9. Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba; »sedere« I 89, 5. adeoque penitus sedet hic tibi morbus.; »jacere« X 71, 4. Nulli sorte jacent candidiore senes.

His adjungenda sunt verba, quae causativum — quem dicunt — verbi »esse« sensum exhibent. Nam ut verba modo commemorata revocantur ad formulam »est mihi res« sic haec verba causativa ad formulam possunt referri »facio ut res mihi sit.« Haec verba natura sua dativos requirunt, sunt enim relativa quae fere aeque sensu carent nisi dativum aut re ipsa aut cogitando addideris ac si dat. sine verbo posueris. Quod in ipso verbo faciendi verum non esse videtur, nam si dicis: »Prometheus haec fecit monstra« plena sine dubio est cogitatio, tamen Mart. (Ap. 182), ubi »terris fecit monstra« dixit re vera relativo verbo usus est, accepit enim verbum faciendi simul sensum verbi communicandi, ita ut recte formulam adhibere possis supra commemoratam et interpretari: »fecit monstra ut sint terris.« Sic versu 3 XI, 6. »hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa«, aperte »facit« vox eundem sensum relativum habet ac si dictum esset »communicavit« vel »dedit«. cf. XII 34, 10. »bene facere« V 64, 14; 63, 5. »mali f.« IV 61, 13. VI 59, 5. »pretium f.« = »dicere quale sit« IX 59, 20. VII 17, 8. »vota f.« IX 64, 8. Ceterum verba huc pertinentia, quae ap. Mart. occurrunt satis habebo enumerare quippe quae admodum sunt nota: do, reddo, trado, dono, lēgo, largior, concedo, praebeo, porrigo, praesto, tribuo, partior, dispenso, restituo, repono, spargo (III 82, 14 manumque doctam spargit omnibus membris; VIII 44, 6. foroque triplici sparsus); promo, dedico, voveo, lito, libo, credo, promitto, polliceor, solvo, vendo, constituo, prostituo, exhibeo, porto, mitto, remitto, refero, relinquo, debeo, gratias ago, gratulor, permitto, committo, nego, pernego, rapio, eripio, surripio, detraho, concilio, monstro, ostendo, nuntio, dico, ait, inquit, garrio,

canto, clamo, mugio, queror, juro, dicto, recito, lego, relego, mentior, scribo, respondeo, satisfacio, mando, paro, impero, indico, persuadeo, approbo, facio, creo, moveo, percutio, frango. Praeter haec verba reperies nonnulla minus usitata: »ventilare« IV 82, 10. aestuanti tenue v. frigus, »ampliare« X 23, 7. »amp. aetatis spatium sibi vir bonus«; »vellere« X 90, 10. noli barbam vellere mortuo leoni. cf. II 62, 1. »lenire« XI 86, 1. leniat ut medicus fauces tibi.

Ex adjectivis huc pertinentibus: »proprius« »alienus« »communis« Mart. unum tantum adhibuit cum dat. constructum. Vd. IV 60, 6. Communis nobis lectus. XI 23. c. tecum nec mihi lectus erit. XII 91, 1. c. tibi cum viro — lectulus, V 62, 7. hospitium nobis c. duobus. II 37, 2. III 51, 3. — Ut qui per se intelligitur dat. (sibi) non est positus XI 81, 1. Cum sene communem vexat spado Dindymus Aeglen.

Haud exiguus denique verborum est numerus, quae id commune habent ut actio spectet ad personam cui aut commodo aut incommodo fiat. Ap. Mart. quae eius sunt generis verba invenies haec: (proficiendi et nocendi) prodesse; commodare; nocere; insidiari; adj. utilis; inutilis; (favendi:) faveo; studeo; indulgeo; credo; plaudo; ignosco; adj. amicus; inimicus; aequus; iratus; infestus; (aptandi:) apto; praeparo (VII 32, 7. »non te paganica thermis praeparat.«) adj. aptus; habilis; (prospiciendi:) caveo; timeo; (auxiliandi:) opem fero; succurro; (assentiendi:) assentior; blandior; plaudo; (serviendi:) pareo; servio; (resistendi:) obsto; reluctor; certo; depugno; (irascendi;) succenseo; irascor; invideo; maledico; (fidendi:) credo; confido; adj. fidus. (placendi:) placeo; displiceo; arrideo; commendo; adj. gratus; ingratus; iucundus; carus; gravis; molestus; asper.

Venimus iam ad genus aliquod verborum, quod quamvis dat.[1] definitionem quam accepimus mirum in modum firmet, occasionem tamen dedit ut tertio casui adscriberent grammatici nonnulli significationem localem, quae quam maxime ab eo abhorret. Verba enim quae affinitatem significant, quae appropinquandi, cohaerendi, coniungendi vel similem continent notionem a Latinis, praesertim a serioris aetatis scriptoribus cum dandi casu construuntur. Itaque quum plurimorum verborum quae huc pertinent natura sit localis — ut dicunt — dativus vero appositus significet finem actionis localis, qui ea de causa ipse localis esse debet, facile apparet, quo modo dat. localem vim induisse videri potuerit, quum tamen suam servaverit naturam, verbum vero locali vi sit praeditum. Ac quoniam

plurima verba quae in hoc sunt numero cum praepositionibus »cum« »ad« aliis quae appropinquationem vel cohaerentiam significant sunt composita, perversa illa grammaticorum regula eaque non invituperata exstitit de verbis cum praepos: »ad« »ante« »con« cet. compositis.[1]) Ceterum priusquam ad haec accedamus commemorandum est, adjectiva quoque propinquitatem exprimentia et his similia cum dat. construi, e quibus Mart. adhibuit haec: vicinus; propinquus; propior; proximus; par; similis; dispar; aemulus. Neque ille, ubi participio »junctus« pro adj. est usus, dubitavit dat. addere. cf. XI 52, 4. Scis quam sint Stephani balnea iuncta mihi. XII 48, 8. iunctaque testa viae. His locis »junctus« part. quum significationem adj. »vicinus« fere sit assecutum, aliis propriam sui notionem magis servavit. Cf. XII 44, 1. cognato iunctum mihi sanguine nomen. Ipsum quoque verbum jungendi cum dat. construitur cf. IV 13, 5. teneris iunguntur vitibus ulmi. al. l. Ut »junctus« etiam »mixtus« adj. usurpatum est. vd. XII 34, 3. dulcia mixta sunt amaris I 116, 4. Hoc (sc. sepulcro) erit Antullae mixtus uterque parens. VII 22, 4. m. Castaliae Baetis ut esset aquae. VII 27, 8. Arcano mixta Falerna garo. Sic quoque ipsum verbum miscendi adhibitum est X 100, 1. Quid stulte nostris versibus tuos misces?« cf. VII 40, 4. Ap. 118, al. l. Atque hanc structuram adeo gratam habuit poeta ut nusquam admiserit aliam nisi uno loco V 4, 3. »merumque cauta fronde non aqua miscet.« At huius loci natura alia plane est quam ceterorum, nam hic merum et frons non ut res pares altera alteri miscentur, sed frons remedium est quo odorem vini perdere studet Myrtale, itaque hic non id praecipuum est valetque quod miscentur merum et frons, sed quod merum fronde mutatur.

Analogiam verbi jungendi sequitur etiam »nectere« verbum. cf. VII 87, 7. »gelidum collo nectit draconem«. Ap. 206 »collo necte puer ceston.« Itemque »circumdare« hunc in modum constructum est IV 41, 1. »c. vellera collo.« At plerumque Mart. hujus generis verba aliam constructionem assumere jussit, nempe ablat. rei et accus. personae, ut formula existat haec; »circumdare aliquem aliqua re.« Cf. XII 17, 7. »circumfusa rosis recumbit. X 83, 5. »caput cingunt cirris grandibus« IV 54, 2. X 103, 2. X 28, 5. II 42, 2. IV 61, 6. Quin etiam personae instrumentorum instar sexto casu positae ita occurrunt.

---

[1]) cf. Zumpt, gr. l. § 415. A. Grotefend. gr. l. § 27. Ramshorn gr. l. § 121. Schulz. gr. l. § 266. Ruddim. inst. lat. II p. 127 sq. al.

cf. I 79, 28. »Infante cinctum (forum) sordido.« II 74, 1. »Cinctum togatis etc.«

His verbis dat. appositus, quum si localem haberet vim significare deberet locum in quem aliquid feratur, alia sunt verba quae aeque dativum regunt, ubi locum significaret unde aliquid feratur. Modo igitur quaestioni responderet »quo?« modo »unde?« Quod quum ita sit, ipsa re elucet dat. localem signific. omnino habere non posse, nam una quidem ei attribui posset, nullo vero modo duae sibi contrariae. In ipsis igitur verbis et in ceteris et in iis ubi dat. quaestioni »unde?« respondere videtur localis vis est posita. Redeunt vero ad similitudinem verborum »deesse«, vel »demere«, quae verba iterum ad formulas possunt revocari: »mihi non est« et »facio, ut mihi non sit.« In hoc verborum numero maxima ex parte occurrunt quae cum »de« »ex« »ab« praepos. sunt composita. Sic Mart. verba adhibuit haec: »detrahere« III 43, 4. personam capiti detrahet illa tuo VI 93, 4. detracta cani cutis. Al. l. hoc vb. analogiam sequitur verborum livendi vel invidendi XI 94, 1. »libellis detr.« »dejicere« IX 51, 17. »Hesternis que rubens deiecta est herba coroc nis.« »decidere« XII 14, 4.[1]) acri decidit excussus nerediturus equo. »delabi« VII 82, 6. delapsa est misero fibula.

»labi«[2]) XI 8, 1. lapsa quod externis spirant opobalsama truncis. cf. XI 8, 10. corona lapsa comis. »dependere« VII 95, 10 cujus livida naribus caninis dep. glacies. »dependet« idem valet atque »est dependens« i. e. dependere« modificatio tantum est verbi »esse.«

»exire« X 70, 1. mihi vix unus toto liber ex. anno.[3])

»excidere« I 96, 14. exc. mihi nomen VIII 56, 17. ex. attonito pinguis Galatea poetae. IV 11, 5. ex. adeo fatum tibi nominis hujus? »elabi« Ap. 123. Saepe gravis digitis el. annullus. X 2, 1. el. manibus opus. »exsolvere« (se) VI 47, 5. ex. votis se tibi[4]) »emicare« XI 100, 4. Cui serra lumbis cuspis emicet culo. »eruere« VIII 28, 24. gemma eruta Erythraeis vadis. cf. III 92, 2. »absistere«

---

[1]) Haud scio an h. l. »equo« forma potius sit abl. dicenda, scil: »excussus acr. eq. dec.« ita ut »decidere« vb. absolute sit positum, quem in modum adhibitum invenies h. l. IV 18, 4. XII 26, 10.

[2]) Cum abl. et praepos. »a« constr. est h. vb. VIII 59, 9. lapsa a cubito pallia.

[3]) Cf. XI 31, 11. »hinc exit varium coco minutal. H. l. dat. est quem dicunt dat. commodi, similiter ac si formae passivae appositus esset fere sic: »hinc efficitur coco m.«

[4]) de h. l. vd. infra.

VII 15, 1. abs. nitidis undis. »abducere« VII 93, 3. abd. nobis Quintum VIII 21, 5. Ledaeo Cyllaron astro abd.

»aufferre« ep. l. 2, 8 a. miseris tecta cf. ep. l. 33, 1. II 51, 3. VI 88, 4. IX 91, 7. X 51, 6. XII 53, 9. Ap. 28. »abscidere« III 85, 1.[1]) nares moecho abs.

His verbis modo commemoratis fere contraria nonnulla sunt simplicia quae analogiam verbi esse sequentia quum ipsa localem habeant vim item in errorem duxerunt ac si dat. iis additus locali esset natura. Quae verba una cum causativis »jungere« et »nectere« commemorare licebat quoniam eodem modo haec illis respondent quo »facere« vb. verbo »esse«. Ex eorum numero Mart. adhibuit vb. »haerere« IX 100, 3. deinde haerere tuo lateri, II 61, 7. h. inguinibus lingua. Contra al. l. 1 6, 2. »illaesum timidis unguibus haesit onus« sextus casus esse mihi videtur forma »unguibus«, et esse abl. instr., pertinens ad partic. »illaesum«, »haerere« vero verbum absolute positum, ut vides h. l. IX 48, 9. II 24, 2. Item abl. instr. multo magis quam dat. poetam posuisse judico I 30, 27. »Quot Formianos imputat dies annos negotiosis rebus urbis haerenti«, ubi »haerens« idem est quod alias »occupatus« et »neg. r.« verba significant rem qua occupatus sit. Saepius multo adhibuit Mart. dat. in locutione »haerere alicui comitem« cf. III 91, 3. VII 45, 9, 11. IX 31, 1. XII 38, 5. quod accuratius dictum est pro simplici »esse alicui comitem« quod ipsum legitur Ap. 122 »felix cui comes est non alienus eques.« — »ire alicui comitem« dictum est X 104, 1. Hic occasionem credo datam de alio loco diiudicandi. Quaeritur enim (XII 25, 6.) scribaturne »exilii comitem quaeris?« an »exilio«. Schneidew. utrum praeferret dubius erat quum priore edit. »exilii« altera ederet »exilio«. E codd. an certi quid possit statui dubitaverim, optimus enim, Thuaneus lectionem habet aperte corruptam »exilli«, proximi virtute libri e familia quam C, a. Schneidew. nominavit, Puteaneus (X), Vossiani duo (A. B.) »exili«; Anglicanus, denique Junii (𝔄) unus »exsilio«. De hoc ms. Schneidew. prolegg. p. XI haec est professus: 𝔄. est ille quidem bonus liber qui ad familiam C, a pertineat sed idem mirifice ab integritate vetustissimorum ejus familiae membrorum deflexit et q. sq.« Quod quum ita sit haud scio an huius libri scriptura ex coniectura fluxerit, neque tamen ob id ipsum reiicienda est et spernenda sed quaerendum potius rectene an falso conjectura sit facta. Revertendum enim est ad usum et

[1]) Sic codd. optimi miro consensu, deteriores »abscindere.«

loquendi consuetudinem poetae et tum dat. praeferendus mihi videtur, nam quum tot locis sit positus, genetivum non nisi duobus locis invenies, tertio vero loco huic admodum simili dat. an gen. sit positus non poterit decerni nisi simul de hoc judicium feceris. Est locus I 2, 2: »comites longae quaeris habere viae.« Illi vero duo loci ubi gen. est adhibitus plane aliter se habent ac ceteri: VIII 44, 5 »magnus comes exulis isti, qui modo nolueras consulis ire comes.« Hic duae sunt locutiones »comes exulis« et »comes consulis,« quarum utraque unam tantum continet notionem easque sibi oppositas. »Ein Consulsgefährte« »Ein Verbanntengefährte.« Hic dat. dro gen. poni non licuit, nisi simul oppositionis acumine peleto. Neque non altero loco II 24, 4 »per freta, per scopulos exulis ibo comes« de industria et praeclare genet. positum esse cognosces, nam qui dicit »exulis ibo comes« significat, se omnia praestiturum quae conveniant exulis comiti, qui vero dicit »exili ibo comes« nihil amplius profitetur nisi se esse iturum, fortasse casu aliquo comitem. At tale quid loco de quo agimus non exspectatur et haud scio an nimis dure dicatur »exilii comes« ut nos diceremus »Ein Verbannungsbegleiter.« Simplicius igitur et ex plurimorum poetae locorum analogia scripserim »exsilio,« eandemque in partem altero loco dubio, quem laudavi, judicium fecerim.

Sed ut iam redeam ad rem propositam praeter »haerere« vb., etiam »pendere« hic commemorari debet. cf. XI 51, 1. Tanta est quae Titio columna pendet. Ap. 54, 1. Si quis plorator collo tibi vernula pendet. Dubitatio hic mihi exstitit »collo« forma sitne tertius casus an sextus, uterque enim habet, quo commendetur. Si enim »collo« dativ. esse dicimus »p. c.« ad analogiam referre licet formulae »est mihi,« si abl. esse contendimust collum instrumentum est quo actio pendendi ut exista facultatem capit; nam si quis dixerit »collo« simpliciter dictum pro »de collo,« ille Sanctii quidem laudes reportabit, re vera autem nihil proficiet. At ut abl. esse »collo« formam contendam, maxime me movet quod nusquam Mart. esusmodi dat. duplici est usus, ut totum—ut dicunt — et partem tertio poneret casu, nisi semel quod sciam XI 100, 4. »Cui serra lumbis cuspis emicat culo;« nam quem forte commemorares huc revocare non licet l. X 2, 1. »Festinata prior decimi mihi cura libelli elapsum manibus nunc revocavit opus:« construendum enim non est »mihi manibus elapsum opus,« sed: »festinata mihi cura« et »opus elapsum manibus.« Neque niti aliquis potest versu 5to ep. 47. l. III. »exsolvit votis hac

se tibi virgine porca« nam hic non totum et eius pars ponitur, sed »exs. se votis« vbb. unam continent notionem et »tibi« dat. est comm[a]. Huc accedit quod quum pluribus eiusmodi ll. eandem quaestionem de casus natura instituere possis, ut I 92, 7. lacerna pendet lumbis; V 31, 3. Cornibus p. summis; II 14, 9. centum pendentia tecta columnis; IX 31, 7 vides patulo p. numismata rostro alitis?« unus tamen existit, unde abl. pellere non poteris ep. l. 1, 5: »aere vocuo pendentia Mausolea.« Nec non momenti aliquid habet alter l. huic de quo agimus admodum similis, licet verbum non plane idem sit: III 73, 3. »Tibi pannosae dependent pectore mammae« ut optimi habent codd. quamquam editores plurimi »pendent a pectore« scripserunt, ut recentiorum codd. est scriptura, coniecturam puto facientium ex versu 5to ep. 37. l. VII »turpis ab inviso pendebat stiria naso. Dixit vero poeta etiam »pendere in« (ep. l. 7. 4) et »pendere de« (Xn 99). Ceterum constructio verbi »pendere« cum abl. haud scio an profecta sit ex analogia verbi »sedere.« Cf. VII 1, 4. pectore cum sacro sederit; II 17, 1. Toustrix Suburae faucibus sedet primis, IX 38, 4. vel pede, vel tergo, crine vel ungue sedet; al. ll.

Restat ut verba composita reliqua, quae accedendi, vel cohaerendi similemve notionem continent enumerem quae quidem a Mart. cum dat. sunt constructa.[1]) Sunt vero haec:

Verba cum »ad« praepos. composita:

»accedere« [2]) VII 53, 4 his comes acc. cf. X 103, 7. »accumbere« Ap. 135. acc. pictis toris; »addere« I 101. 4. VIII 3, 3. IX 3, 12; 17, 15. IX 101, 6. X 24, 56; 26, 6; 98, 1. Xn 3, 7; Ap. 115. »adesse«[3]) I 6, 5 summus utrique auctor adest. cf. IV 54, 4. »afferre«[4]) IX 37, 3 mihi tabellas aff. cf. X 48, 7. »admovere« IV 64, 9 »adm. astris.« »adhaerere« V 61, 1 »uxori adh.« »adhibere« VI 57, 3. adh. tonsorem capiti. »adjicere« IV 54, 9 adj. nil penso Lachesis. cf. X 82, 1. »adnumerare« ep. l. 4b 2 adn. impensis principis. II 8, 4. XI 47, 8. »adop-

---

[1]) Egit de ea re copiosissime nuper Ad. Lehmann diss. inaugur. Vratisl. a. MDCCCLXIII: de verborum compositorum, quae apud Sallustium, Caesarem, Tacitum leguntur cum dat. structura. Ex Statio collegit vbb. huc spectantia Aem. Nauke. diss. inaugur. philol. Vratisl. a. MDCCCLXIII. pp. 21 — 24.

[2]) Cum ad praepos. const. invenies XII 26, 12. ac. servus ad auriculam VII 18, 5 ad opus.

[3]) Cum ad praep. cons. X 48, 17 pullus ad haec additur.

[4]) Cum ad praep. cons. XII 29, 21 ad coenam mappam non att.

tare« IV 31, 9 adop. tibi nomen; »arridere« VI 44, 3 arr. omnibus; cf. XI 45, 2. »adstare« VIII 56 13 ads. domini mensis. »†assurgere« [1]) X 10, 9 ass. recitanti carmina. »assidere« II 14, 8. ass. cathedris cf. II 41, 19. »adstruere« ads. Neroni acta III 20, 4. »advertere« IV 64, 8 (nugae) quibus aurem adv.

Verba cum »in« praepos. composita.

»incubare« XII 53, 3 inc. gazae. »incumbere« V 13, 5 tecta centenis columnis inc. »†infundere« V 70, 1 infusum centies sibi »ingerere« I 21, 2 ing. se sacris focis »illigare« I 49, 23 ill. mollibus dammas plagis mactabis. »illudere« XII 53, 9 quaeris quibus ill. »† imminere« IV 64 4 collibus imm, »immiscere« ep. 21, 5 imixtum pecori genus. »imponere« I 52, 9 plagiario pudorem imp. cf. X 25, 2. Hoc vb. sensu »nocendi fraude« adhibitum cum dat. est III 57, 1: »mihi copo imposuit;« et absolute III 79, 2. IV 40, 10. V 36 2. »imprimere« X 42, 5 imp. tibi basia. »inscribere« [2]) IX 15, 1. insc. tumulo, »inserere« [3]) IV 31, 4 ins. chartis meis cf. VII 17, 5. »†instare« I 15, 3 ins. tibi consul tricesimus cf. XII 74, 4. VIII I5, 3. VIII 18, 3. Ap. 145. »insultare« V 31, 1. ins. iuvencis. »inurere« VI 64, 24 si quid tibi inu. ardor.

Liceat mihi hic disserere nonnulla de loco, qui si verum iudico hic non erit praetermittendus. Legitur vero: XII 38: »Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris incedit tota notus in urbe nimis et qu. sq.« »cathedris« forma aut sextus casus est aut tertius. Si dat. esse dicimus construi oportet »femineis cathedris incedit;« at primum valde dubito verbum »incedere« si proprie ad aliquem locum refertur possitne cum dat. construi, certe melius dicendum erat aut »inc. in cathedris« aut »inc. cathedras.[4]) Sed concedamus »incedere« vb. sic posse cum dat. construi quid quaeso sibi vult qui in cathedris incedit? Itaque quum sensu careat locus si »cathedris« pro dat. habemus — nam ne id quidem fieri potest ut »incedit tota in urbe« et »notus fem. cath.« conjungamus, quoniam id verborum vetat positio — necesse est dicamus »fem. cath.« sextum esse casum. Tum cathedrae intelligendae sunt quibus mulieres gestabantur a mollibus viris

---

[1]) Verba quae cruce signavi Mart. ita quoque construxit ut nullum adderet substantivum.

[2]) In passivo construitur h. vb. ut vb. transit. h. l. IX 44, 5 inscripta est basis.

[3]) Cum »in« praepos. conj. II. 75, 2 »insertam manum in ora.«

[4]) Cf. Tac. ann. 14, 15. post nemus ipse scenas incedit; I 61: ncedunt moestos locos visuque ac memoria deformis. cf. ann., 14, 22,

interdum adhibitae. Cf. Suet. Oth. 6 abditus propere: muliebri sella in castra contendit. — At ne haec quidem interpretatio gravibus caret offensionibus, exstat enim locus alter quo poeta iisdem usus verbis: »femineae cathedrae« (III 63, 7) non sellas gestatorias intellexit. Huc accedit quod »inc. cath.« locutio admodum est inepta, nam qui cathedra movetur non incedit sed portatur. Neve nitatur quis loco quem Forcell. s. h. v. attulitt: Iust. 41, 3. »Servi pedibus, liberi non nisi equis incedunt« hic enim figura est quam dicunt fig. ἀπὸ κοινοῦ s. zeugma, et vb. ea tantum de causa adhibitum ut quam maxime vivida existat oppositio. Sed quod praeter cetera me movet: sensus naturaque epigrammatis aliud quid quam quod legimus flagitat. Vide subitam structurae mutationem, intelliges inexpectatum quid dicturum fuisse poetam, vide ipsa verba versus ultimi »non est quod timeas non futuit,« concludes prioribus versibus poetam descripsisse hominem qui sit timendus maritis, qui »futuere« credatur. At qui dies noctesque muliebri sella vehitur is maritis non periculosi generis homo, statim muliebria potius pati, quam virilia facere putetur. Itaque scripturam quam libri miro consensu tradunt veram non esse crediderim, neque tamen intelligere possum Lemarius quid rationis habuerit, qui »fortè,« inquit, »melius legendum esset »insedit.«. Nempe mollem et cinaedum intelligit.« Neque causam mutationis neque perfectum tempus cur posuerit perspicio. Ipse vero pro »incedit« voce »insidit« scripserim. Qui femineas cathedras semper occupat is cum feminis semper negoti aliquid habere, is uxoribus adhaerere, is maritis timori esse merito iudicetur. De usu vere verbi »insidere« vd. Forcell. lex. s. h. v.: »Est etiam haerere, inhaerere. Colum. 2, 2 med. In opere boves arcte junctos habere convenit quo iugum melius aptum cervicibus insidat.«

Verba cum praepos. »cum« composita: »conciliare« XII 52, 14 conc. amor dominam tibi. »conferre« IV 11, 10. collatus tibi cf. XI 72, 2. »comparare« V 37, 12 cui comparatus cf. X 19, 17. III 93, 6. »convenire[1]« IV 10, 6. muneribus meis conv. cf. IV 41, 2; VI 63, 5; VIII 35, 5; 48, 6; XI 37, 4; XII 32, 5. Ap. 47, 113.

Verba cum »ob« praepos. composita: »objicere« V 69, 1 obj. nil Photino cf. VIII 14, 3. »†obtare« IV 29, 1. obs. nostris sua turba libellis. »obstre-

---

[1]) Cum acc. constr. est vb. III 26, 1, 10: Conveni Apollinarem meum. VII 73, 5: dic ubi conveniam, dic qua te parte requiram.

pere« I 95. 1 obs. agentibus cf. VII 18, 13. »†occurrere« cf. I 117, 1. II 67, 1; III 14, 3; III 44, 19; VIII 95, 14; IX 55, 3. »†opponere« X 85, 6 opp. vadis.

Verba cum »sub« praepos. composita: »subdere« ep. l. 7, 10 subd. tibi Roma faces. »†subducere« IX 96, 1 subd. aegro trullam Xn 36. Ap. 42. »subjicere« IX 75, 10 subj. balneum thermis. »subtrahere« I 42, 3: sibi arma substracta. »succedere« VIII 46, 5 succ. lecto; cf. XII 98, 7; V 61, 12, »succumbere« Xn 64. suc. sterili marito. »succurrere« IX 55, 3 succ. nobis ingens turba. »suggere« III 82, 8 sugg. ructanti pinnas. »supponerc« IV 66, 15supp. est blando tessera talo. »suspendere« II 43, 9 susp. Indis dentibus Libycos orbes.« Fortasse h. l. melius erit »dentibus« formam habere pro abl. instr.

Verba cum »prae« praepos. composita: »praeferre« I 78, 9 hunc mortem fatis Catonis pr. cf. IV 40, 3 al. ll. »praependere« IX 47, 4 »tibi barba pr.

Quod attinet ad adjectiva quae supra commemoravi, quae propinquitatem exprimunt et his similia, notandum est, poetam »propinquus« et »propior« adj. utrumque semel cum dat. construxisse: XII 44, 2. propinqua studiis meis corda XI 43, 10. Aeacidae propior amicus erat.[1]) »Proximus« adj. iis locis exceptis quibus omnino substant. non est additum dat. regit: Cf. VII 45, 2. III 19, 1. al. locos multos. Itemque »similis« adj. ap. Mart. semper dat. prope se habet nunquam genet. cf. III 39, 1; IX, 36, 9; 103, 1; IV 61, 7; X 100, 4; 55, 3; VII 58, 3; V 51, 5; VI 75, 2; XII 62, 9; Xn. 23. Quin etiam »similis sibi« poeta dixit non »similis sui« cf. I 109, 20. Memorabili quoque modo usurpavit hoc adj. dicens: (VII 87, 4:) »Cronius similem cercopithecon amat.« Similitudo enim quae intercedit inter simiam et hominis figuram pro tam nota habetur ut neque addatur expresse cui similis sit simia, neque verba antecedentia eam personam indicent. Absolute igitur positum adj. »similis« videtur et pari modo dictum: »similis cercopithecus« ac »gelidus draco« vel »perniciosus ichneumon.« »Cum participii dat. usurpatum invenies »similis« vocem semel ep. l. 30, 3. »s. roganti.« Aemulus« adj. ap. Mart. semper cum dandi casu construitur. cf. IV 25, 1; 42, 10; VIII 28, 5; XII 44, 2; Xn. 118. »Superstes« adj. bis cum dat. coniun-

---

[1]) »Propius« semel cum acc. conj. poeta X 58, 2 »propius Bajar litoreamque domum.

ctum est XII 47, 17; 67, 5; tertio loco X 2, 8 absolute positum occurrit: »meliore tui parte superstes eris.«

Jamjam tota de hoc dativi usu disputatione finita ad aliam transirem dat! usus partem nisi Merulae coniectura quaedam profecta ex opinione perversa de vi locali in tertio casu posita, locum mihi daret iudicium faciendi de versu aliquo poetae quem neque a codd. incolumem traditum neque coniecturis permultis VV. DD. in eo factis in integrum arbitror restitutum. Georgius enim Merula et cum eo Aldina an. 1501. ac quae eam sequuntur editiones: ep. l. 4, v. 3. »Traducta est Gyaris (turba scil.)« ex coniectura scripserunt. Quae quidem scriptura quo vitio laboret ex iis quae supra diximus apparet, neque non Scaligerus contemptim eam reiecit. Editor novissimus Schneidew. edid. haec: »Tradita Gaetulis nec cepit harena nocentes.« At hanc lectionem licet habeant aliquot codd. recentiores et Scriverii »omnes meliores scripti« tamen coniecturam esse putarim quae fluxerit e scriptura cod. optimi Thuanei: »Traducta ē getulis,« quum et Romana editio et recentiores aliquot mss. habeant »Traducta est Getulis« At emendatio, quam recepit Schneidew. licet speciosa, tamen non vera mihi esse videtur. Audiamus enim Scaligerum eam interpretantem: (Diatr. in Mart. de spectacul. ad ep. IV.): »Getuli enim sunt ἐπιστάται τῶν λεόντων. Quid clarius nunc? Traditi sunt magistris leonum ut eos leonibus suis objicerent. Et quum arena non caperet tantum numerum delatorum nunc delator habet exilium. Primum addidisset velim unde scierit Gaetulos idem valere ac magistros leonum, deinde vero, quod multo gravius arbitror poenam finxit adhibitam quae ingenio imperatoris delatores punientis non convenit et quae a scriptoribus de ea re referentibus non est commemorata. Nam seu ut vult Gruterus Caesari Trajano adscriptum hoc epigramma credimus de quo delatores puniente Plin. retulit in Paneg. c. 34 sq. seu quod verisimilius de Tito loqui Mart. quem Suet. Tit. c. 8 delatores puniisse narrat, neuter tali modo supplicium sumsisse fertur, sed ab utroque in exilium sunt missi delatores antea turpiter tractati. Ac si verba intuemur ipsa dubitare fere non poterimus Suetonium et Mart. de una eademque re referre. Ille enim haec: »Hos (delatores scil.) assidue in foro flagellis ac fustibus caesos ac novissime traductos per amphitheatri arenam partim subjici in servos ac venire imperavit, partim in asperrimas insularum avehi;« Mart. vero si Thuan. sequimur cod.: »(turba) traducta est Getulis nec cepit harena

nocentes.« Vitium his inesse verbis metrica docet ratio, at equidem id non in voce »traducta« latere putarim, quam communem habet cum Suetonio sed potius in »getulis« voce quam per se ferendam esse negarim, nam haud quaquam Scaligero credendum est »Gaetulos« dictum pro »magistris leonum,« certe ex Mart. tale quid sumere non potuit qui altero loco ubi Gaetulos commemoravit X 20. Gaetula mapalia et Scythicas casas ut res refert quae exsilio gravissimo conveniant. Itaque si »tradita Gaetulis« poeta dixisset equidem non dubius essem contendere id idem valere ac si dixisset: »in exsilium grave missa est turba,« et sic interpretatus est Lemarius: »Tradita Getulis: Relegata est in arenosa et deserta Africae loca,« at ne sic quidem ferenda est lectio, nam rectissime se habet quod dixit Scaligerus (l. l.): »Ex ipsius verbis mentem poetae perpendamus. In arenam ait missos, ergo quae antecedunt idem significant.« Ridicula vero est Lemarii opinio, qui »tantus« ait »est delatorum numerus ut vix capiant eos Africa vel insulae vel amphitheatrum. Arena pro ipso Africae solo.« Crederes delatores populum hominibus abundantem quem Africa capere non potuerit, non singulos licet multos homines; neque arenam aliud qind significare quam amphitheatri arenam satis constat. cf. ep, l. 5v. 4. 21, 2. I 14,2. I 43,12 al. ll. permultos. Jam igitur recte eos egisse iudico qui mutanda voce »getulis« verum investigare conati sunt, neque tamen quenquam assecutum id esse arbitror. Judicium de iis fecit Scriverius qui et quam dixi Merulae coniecturam repudiavit et Gruteri »traducta est betullis« et Rutgersii »traducta est Thulen« et denique Lipsianam »traducta est titulis,« Haec Lispsii coniectura »traducere« vb. sensu »derisui exponendi« »ostentui habendi« accipit. Cf. Forcell. lex. s. h. v. Mart. ipse eum in modum hoc verbo usus est h. l. 3,74. 6,77. »Titulis« forma sextus est casus ut I 53,3. »Quae tua (pagina sc.) traducit manifesto carmina furto. Cf, Juven. sat. 7. v, 16. At puto haud posse intelligi quemadmodum »traducere titulis« idem significet atque: »ignominiae objicere inscriptionibus criminum collo appensis.« Neque vero ipse ego quam pro certa et vera defenderim emendationem proferam, qui propono scribatur: »traducta est oculis« ut »oculis« vox sit dat. comm. nempe »turba per arenam traducta est oculis hominum. At ne sic quidem satis emendatum epigr. mihi videtur, versus enim quartus adeo parum arcte cohaeret cum antecedenti ut post »nocentes« vocem, lacunam duorum versuum, quibus quae sors delatorum fuerit accuratius sit descripta, esse crediderim.

Dat. ad verba ponitur quae quidem non eiusmodi sunt ut finis significationem accuratius definiant, quibus tamen dativos apponere licet, quod generalem verbi „esse“ nationem continent.

Hic primum commemorandum est genus dativi quem dat. dicunt commodi et incommodi, qui usus non minus ex natura prodiit dat!. quam quos jam descripsimus. Nam ut statim exemplo utar: Plautus si dixit: (Merc. I 1,7.) »Tibi aras, tici occas, tibi seris, tibi eidem metis« verba verba posuit quae non sunt relativa, quae ut plenum habeant sensum dat? non egent, sed quorum actio in se est perfecta. Tamen haec verba quum generalem contineant notionem faciendi ut aliquid efficiatur vel sit, dat. personae in cujus commodum vel incommodum, honorem vel dedecus, omnino in cuius respectum actio dirigatur sibi apponi non vetant. Itaque hic dat! usus non multum differt ab illo dat? qui ad verba ponitur quae causativa diximus verbi »esse« et redit ad formulam »facio ut sit mihi.« Iterum si dico »crescit silva« verbo usus sum cuius actio in se est perfecta, tamen actione crescendi quum efficiatur ut major fiat silva, ipsa crescendi actio in utilitatem fit ejus cui silva est propria. Itaque si hunc crescendi eventum respicio, personam in cujus commodum crescit silva ut eam cogitare possum in quam actio crescendi dirigitur, in qua igitur finis actionis crescendi est positus. Suo igitur jure Mart. dixit (VII 28, 1): »crescat tibi silva.« Sic hic dat! usus illi affinis maxime est qui simplici verbo »esse« convenit, formulae vero est adaptatus »est rest mihi.« — Inter verba varia quae hunc in modum dativos adsciscunt nonnulla occurrunt quae a Germanicae linguae construendi ratione differunt, e quibus ap. Mart. invenies fere haec: »cavere« XII 77, 11 sed quamvis sibi caverit. »timere« I 82, 7. Et postquam domino nihil timebat. »vacare« II 5, 6 vel tantum caussis, vel tibi saepe vacas. cf. II 41, 21, V 20, 4 al. ll. »nubere« VI 13, 1 al. ll. »parcere« ep. l. 25, 1 al. ll. »invidere« c. dat. personae I 40, 2; 86, 3; III 58, 44; IX 51, 3; VII 5, 3; cum dat. rei: I 113, 4; IX 30, 5. »livere« c. dat. pers. VI 86, 6; IX 23, 5. c. dat. rei X 12, 10; XI 94, 1. »studere« X 19, 15: stud. auribus virorum.

Alia sunt verba quibus dat. additus significat personam in cuius honorem actio verbi fiat. Sic Mart. dixit X 10, 9: Saepius assurgam recitanti carmina? II 15, 1: nulli propinas. cf. III 82, 28; VI 44, 6; VIII 6, 13. — IX 16, 2: speculum dulcesque capillos pergameo posuit

dona sacrata deo. IX 93, 3. Quis erit cui te Catorisse deorum sex iubeo cyathos fundere?

Complura iterum sunt verba quibus si dat. apponitur, diserte significatur persona in cuius damnum actio dirigitur. Sic adhibita invenies verba haec: »damnare« XI 41, 6 damn. rogis noxia ligna pater. cf. VII 55, 8; »perdere« III 85, 3; nihil hic tibi perd. uxor. cf. VII 93, 5; XI 76, 2; »perire« V 1, 4; mihi charta brevior p. cf. I 45, 1; IV 63, 3; V 20, 13; V 25, 12; VII 51, 8; XII 1, 4; »disperire« V 82, 4. »I, tibi dispereas Gaure pusillus homo es.« Hic locus variis coniecturis est vexatus, e quibus nullam mentione puto dignam, nisi quam Scriverius, monente Scaligero edidit. »I tibi disperdas;« sed omnino emendatione non est opus, haudquaquam enim Lemario credendum est qui »tibi dispereas« scribens adnotat: »tibi« abundat hoc loco ut saepe alias.« At minime »tibi« vox abundat, sed si omittatur haud scio an maxima ioci pars simul evanescat, nam illi qui omnia sibi tantum facere, i. e. ad suum convertere lucrum studet, optime optat poeta ut sibi quoque dispereat.

Aliis quibusdam verbis quum semper pari modo et pari conditione dativi addantur, formulae aliquot sunt exortae, quae certam quandam significationem continent. Sic ad verbum »velle« dat. pronominis personalis quater ap. Mart. positum inveni h. ll. III 90, 2. IV 5, 2. IV 47, 2. VI 54, 3., et ita quidem ut interrogationis pronomen »quid?« semper praecederet. Est vero formula »quid tibi vis?« idem ac si nos dicimus: »Was hast du im Sinn?« Frequentiores ap. Mart. formulae occurrunt hae: »tibi habe« II 10, 4; 48, 8. VIII 37, 3. X 51, 16. Xn. 53. »vobis habete« VII 48, 4. »tibi habeto« I 92, 3. Elucet formulas has fuisse fortiter vehementerque imperandi ut ne quis quae habeat alteri communicet, sed solus iis fruatur. Cui rei non repugnat locus, ubi verbi imperativa forma non est posita X 41, 2: »maritum iubes res sibi habere suas«, scilicet quum et haec verba iussum contineant. Certo denique sensu »ponere alicui aliquid« dicitur, nempe ita ut notionem contineat »dare alicui cibos coenandos.« Sic I 43, 13 dictum est: »Ponatur tibi nullus aper post talia facta, sed tu ponaris cui Charidemus apro.« Cf. I 43, 2; 44, 4; III 45, 5; 50, 8; 60, 8. VIII 22, 1. X 59, 3. Xn 124; 41; 24. Non de coena praebita usurpatum invenies vb. h. III 38, 7: mensa tibi ponitur. III 94, 1: chrysendeta p. Xn. 65. »ponitur avis Ausoniis mensis«, at hic »mensis« forma abl. instr. mihi esse videtur.

Restat iam ut reliqua enumerem verba, varia sane et diversa et quorum larga suppetit copia, quibus Mart. addidit dat. quo persona significatur cui aut commodo sit actio verbi aut incommodo. Sunt vero haec: »petere« VII 69, 3. Hanc sibi iure p. cf. XII 29, 7. »precari« XI 73, 5. »Quid precer meritis et moribus istis? cf. I 10. 3. »optare« I 99, 4 op. tibi centiens. cf. IV 51, 5. X 71, 1. »exorare« VII 54, 4. exorat noctes mihi saga i. e.: efficit ut noctes mihi non noceant. »fricare« XI 29, 8: mihi fr. »destinare« IX 35, 10 des. aetherius cui sua serta pater. Cf. Stat, silv, I 159. »extendere« X 5, 6 ext. illi December triste frigus. »ducere« VI 58, 7: si mihi lanificae d. non pulla sorores stamina. »capere» Ap. 216. »decipit et captas non sibi maeret aves. »trahere« VI 3, 5. tibi tr. aurea fila. »venari« Ap. 200: non sibi sed domino venatur vertragus acer. »exstruere« Ap. 222: mille tibi dulces operum manus ista figuras exstruet. »nere« Ap. 158 »lana tonsis neta ministris«. »tendere« III 58, 26 tend. avidis rete subdolum turdis. cf, II 40, 3. »peccare« III 85, 2: non hac peccatum est parte marite tibi. »parare« X 30. 29: dominis parantur ista, serviunt vobis. »reservare« VIII 40, 5 »silvam res. domini focis. »formare« VII 84, 1: dum mea Caecilio formatur imago. »rapere« X 70, 8: nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit. scil: hora. »onerare« I 55, 11: Pinguis inaequales on. cui villica menses. »quassare« VIII 43, 2. funereamque toris qu. uterque facem. »liquare« IX 2, 5 nives dominae liquantur. »vivere« IV 73, 5 Iam sibi defunctus, caris dum vivit amicis. cf. I 88, 8. V 20, 11 IX v. 3. »crescere« VII 6, 7. VIII 44, 14. »florere« VIII 28, 3 Appula tibi fl. turba. »gigni« XI 22, 9: divisit natura marem: pars una puellis, una viris genita est. »nasci« XI 65, 6 sexcentis hodie, cras mihi natus eris. «renasci« VI 7, 1 ren. est lex populis. »tacere« V 69, 6. Et tantis opibus vox tacet una tibi. »loqui« X 65, 11. nobis fistula fortius l. »venire« Xn. 31; Haec tibi Vestino de grege massa v. »fulcire« II 43, 10 fulcitur testa fagina mensa mihi. »sedere« XI 104, 14: Hectoreo quotiens sederat uxor equo. »prurire« III 93, 20 pr. tuis cineribus virum quaeris. »pallere« IX 54, 1. Si mihi Picena turdus palleret oliva. »navigare« VII 30, 3. Et tibi de Pharia Memphiticus urbe fututor nav.

Praeterea simplex verbum »esse« si cum praedicato est coniunctum dativos comm. sibi apponi admittit et ubi praedicatum pronomen seu substantivum et ubi adiectivum est: Cf. XII 4, 1: Quad Flacco Varioque fuit, summoque Maroni Maecenas — hoc te mihi fuisse dicet

fama. VI 44, 10: fuisse illi te, Senecae quod fuit ille suo V 16, 12. minimum vati munus Alexis erat. XI 78, 8. uxor non puer ista tibi est. XII 96, 6 hi faciunt ut sis femina sola viro. III 42, 10 vir reliquis, uni sit puer ille mihi. IX 90, 7 sic uni tibi sit puer cinaedus. Ap. 180. Jo cum tibi vacca fuit. VII 10, 13 uxor moecha tibi est.— XI 18, 14 talpa est mihi fossor et arator. III 66, 4 hoc tibi Roma caput erat. V 85, 2: Hoc tibi Saturni tempore munus erit. XII 26, 15: malo famem quam sit cena mihi, tibi sit provincia merces. Xn 90 cui solus erit concha Lucrina cibus. Ap. 10 Gemmeus iste tibi miles et hostes erit. Ap. 65. pro puero pes erit ipse sibi. VIII 38, 15. hoc longum tibi erit tributum. V 71: hibernum iam tibi Tibur erit. II 9, 10: O quam blandus es matri, IX 2, 1: Prauper amicitiae cum sis Lupe non es amicae. VI 39, 20. Jamque hybridarum grex tibi foret plenus. IX 52, 4: felix utraque lux diesque nobis.

Quaestio hic incidit de loco in quem per coniecturam dat. comm. est illatus haec coniectura probetur an altera. Quum enim (XII 62, 4) ex codd. Puteanei (X) Vossianorum (A. B.) scriptura »sed sis,« quae sensu caret, duae sint ortae coniecturae, Schneidew. edit. priore vulgatam servavit »sed sita,« edit. recentiore Heinsii recepit, scribentis »sed sibi«. Vulgata »sed sita dives humus,« si Schmiederi sequimur interpretationem significat »intactae, non motae et quasi sepultae terrae divitiae.« At licet bene equidem sciam »situm esse« eum dici qui mortuus et conditus est, (vd. Forcell. lex. s. h. v. — Mart. VI 76, 3. X 67, 6) tamen hanc verbi vim hic minime quadrare contendo, nam tum »humus« vox duas una haberet significationes: humus enim quae »non scissa« est significaret ipsam terram divitias condentem, et »dives« humus quae »sita est« significaret divitias quae a terra conduntur. Quod nullo modo fieri posse persuasum prorsus habeo. Si vero quis »situm esse« non »conditum esse« sed tantum »intactum esse,« id quod nos dicimus »in Ruhe sein« significare contendat, priusquam — quod nemo adhuc fecit interpretum — attulerit exempla satis hanc verbi notionem probantia coniecturam illam, quae ferri non potest nisi hanc verbi esse statuis signific., non admittam. Quod idem dici debet in eos qui ita construentes ut »dives« vocem pro praedicato et »sita« adj. ad »humus« vocem appositum habeant, Ramleri puto opinionis participes sunt, qui vertit: »Nicht ein Erdreich durchwühlt bis zum Styx, nein, ruhend und fruchtbar.« et adnotavit: »Weil es ungepflügt von selbst Früchte trug.« Nam »ruhend« vox significat hic, quod nos dicimus »nicht

bewegt« non vero: »liegend«. — Hac igitur omissa ad alteram animum advertamus coniecturam, quam multo duco praeferendam. Tempori enim praesenti quo hominibus ipsam scindentibus terra aurum praebet et argentum, in eorum igitur lucrum divitias habet, opponitur tempus quo nondum itum est in viscera terrae et haec divitias omnes, quas habuit, sibi habuit, i. e. intactas atque immotas. Tamen — ut verum dicam — licet melius quod scribendum proponam non habeam, ne haec quidem scriptura tota mihi placet, nam altera versus parte non novi quid dicitur sed nova forma, novis verbis prioris partis sententia repetitur, et oppositio quae hic suum habeat locum mihi videtur esse, non: »humus sibi non aliis dives«, sed: »humus per se non alieno labore dives.«

Interdum dat. non tam expresse cui personae commodo vel incommodo actio fiat verbi significat, quam omnino personam indicat cujus intersit ut actio sit verbi. Sic Horat. si dixit epis. I 3, 15. »Quid mihi Celsus agis?« forma »mihi« non, ut quidam contendunt, abundanter usus est, sed ea indicavit interesse sua, quid agat Celsus. Apparet hunc dat. qui ethicus est appellatus non multum differre a dat°, quem dicunt comm^di^ et eiusdem fere esse naturae ita ut multis locis difficile sit dijudicare utrum dicas esse. Ap. Mart. quae huc pertineant exempla — ubi semper aut »mihi« aut »tibi« formae sunt adhibitae — enumero haec: VIII 52, 10. Barbatus mihi tonsor est reversus. X 58, 7. hic mihi quando dies meus est? Xn. 106. Gnosia Minoae genuit vindemia Cretae hoc tibi. Ap. 14. Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem. VIII 51, 17. Imbuat egregium digno mihi nectare munus. Ap. 192. Haec tibi — tabella carmina Nasonis gerit. Ap. 5. Nigra tibi niveum littera pingit ebur. Xn. 101. Hoc tibi Camponi sudavit bacca Venafri unguentum. — Formulam quoque supra commemoratam »quid tibi vis?« non immerito dat° adscribas ethico. [1])

A dat° deni que comm^di^ non est ut separes illum, qui ad formas ponitur passivas [2]) verborum et quum ex Graecorum imitatione ortus crederetur, Graecus est appellatus. Itaque dixerunt dat. pro abl.° personae cum »a« praepos. coniuncto substitui et idem significare atque illum. Quod plane est negandum. [3]) Intolerabilis fuisset poetarum inso-

---

[1]) Ea ipsa Ramshorni est sententia cf. lat. gr. § 119, IV. Grotefend. § 390 not. 2.

[2]) Cf. Reisig. schol. l. § 379 not. 551. Grotfd. § 13. 391. Zumpt, gr. lat. § 429. Ruddim. inst. lat. tom II. pp. 98, 99. 150.

[3]) cf. Hasii prof. ill. not. 551 ad schol. lat. Reisig.

lentia si structuram novam ex aliena lingua in propriam intulissent et ex libidine propriae structurae loco posuissent. Neque igitur hoc est credendum, neque ex origine passivi — quae Grotefendi est opinio hic usus erit deducendus. Nam concedamus passivum e medio esse natum et notionem passivi primariam fuisse reflexivam, quid ea re iuvamur ad explicandum datⁱ apud pass. formas usum, si hic usus non tempore antiquiore sed recentiore frequentior occurrit? Itaque dat. hic non tam ex origine passivi quam potius ex amplificatis ejus usu et significatione debebit explicari. Passivum enim quod initio arcto vinculo cum activo erat coniunctum et totum ab eo pendebat paullatim magis magisque coniunctionem laxavit et induit fere naturam novi verbi, derivati quidem ab activo non vero dependentis. Quod cum in ceteris verbis factum est, tum iis apparet quae dicuntur deponentia.[1]) Si diserte, quem habeat auctorem actio verbi, significari debet, »a« praepositionem cum abl.° personae ad passivum poni necesse est; si vero tantum ad quem actio verbi pertineat dici opus est, dat. ponatur licet. Neque tamen omnibus verbi temporibus pari modo haec structura valet, sed iis potissimum formis quae adiectivis sunt similiores. Et apud part. praes. pass. adeo dat. personae frequentior est ut abl. cum alias perraro, tum ap. Mart. nusquam invenias. Atque mihi quidem Mart. partic. praess. pass. re vera adjectivi loco habuisse videtur, nam verbi causa, si dixit (I 51, 5), »desperanda tibi est ingentis gloria fati« »desperanda« vox plane adj.[i] induit naturam. Nunc jam reliqua hujus generis exempla, quae ap. Mart. occurrunt, enumerabo: ep. 17, 2. tauro metuendus (elephas.) Xn. 93. Diomedeis met. setiger agris. Ap. 197. tibi met. ruina. IV 75, 8. tibi probandus amor. V 78, 6. coliculus digitis ustis tenendus. XII 74, 10. frangendus tibi fuerit calix. I 70, 5. Palatia veneranda sacro clivo. X 58, 13. mihi vener. sacra. III 6, 2. lux tuis sacris celebranda. IV 22, 1. placanda marito Cleopatra. IV 86, 11. libelle pueris arande. V 30, 5. fumoso non aspernanda Decembri carmina. I 41, 1. vir Celtiberis non tacende gentibus. VII 45, 6. O nullis Ovidi tac. linguis. IX 45, 3, 4. rupes et fabula montis sunt oculis tuis adeunda. IX 49, 6. (toga) vix tremulo accipienda tribuli. IX 65, 1. Alcide Latio agnoscende Tonanti. X 12, 9. non agn. amicis venies. I 15, 1. O mihi post nullos Juli memorande sodales. X 26, 2. centum dux memorande viris. XI 22, 7. miranda matri barba.

---

[1]) Fr. Haase in schol. lat.

Pariter ubi neutrum part. praes. pass. positum est vim habet neutrius adjectivi naturam substantivam induentis. Cf. II 55, 2. parendum est tibi, IX 53, 3. par. est monitis. I 86, 11. migrandum est mihi longius vel. illi. VIII 72, 7. votis quod paribus tibi petendum est.

Ad. perf. pass. formas dat. positus quam habeat significationem et quid intercedat discriminis inter hanc locutionem et eam qua abl. pers. cum »a« praepos. est adhibitus non admodum difficile est perspectu. Verbi enim causa si dicitur (XII 66, 1.) »Bis quinquagenis domus est tibi milibus empta«, non tam ipsa actio emendi respicitur, quam id quod ea actione sit effectum, nempe ut domus illi sit qui emit. Si vero dico »a te domus empta est« non quid actione emendi sit effectum, sed ipsam illam respicio actionem. Itaque quum persona a qua actio proficiscatur et illa in qua finis actionis sit positus eadem sit, loquendi ratione efficere possum ut hanc unam personam ex relatione duplici quam ad actionem habet verbi in duas quasi dividam, et altera omissa unam tantum respiciam. Si abl. pono cum »a« praepos. auctorem tantum actionis respicio, si dat. personam in qua finis actionis est positus. Illa loquendi ratione participium verbalem magis servavit natūram, hac adiectivi magis induit. Ut vb.[1] emendi supra commemoratum significat actionem acquirendi quae manu capiuntur, alia sunt verba quae notionem habent acquirendi quae animo capiuntur ad quorum perf. pass. ex eadem ratione, qua ad »emptum esse« dativos poni licet. Ubi enim cognoscendi actionem perfectam esse dicimus, partic. plane adjectivi locum occupat; cf. »notum esse alicui« (I 92, 2.) al. ejusmodi locutiones. Loci huc spectantia sunt hi: ep. l. 18, 4: res nova nec ullis cognita temporibus. II 6, 2. lectis vix tibi paginis duabus. II 91, 3. »tibi lecta carmina nostra«. V 70, 7. »Ennius est lectus salvo tibi Roma Marone«, at fontasse melius hic erit coniungere »salvo tibi M.« quod idem est ac si dixisset poeta: tempore quo Maro tibi salvus erat. »Tibi« dat. est comm[ti]. X 63, 3. Bis mea Romano spectata est vita Tarento. X 104, 10. »Sodales ante brumas triginta mihi quattuorque visos salutes.«

Item Mart. si dixit I 12, 3. dilecta iugera musis; IX 61, 19. dilecta deis arbor; X 20, 3. »Tu mihi dilectus,

---

[1]) Ad hoc ipsumvb. »emendi« vd. III 52, 1. Empta domus fuerat tibi Tongiliane ducenis. III 62, 6. Quod pluris mula est quam domus ėmpta tibi. IX. 47. empta tibi nox est fundis non tota paternis. II 34, 1: Cum placeat Phileros tota tibi dote redemptus. X 31, 4 mullus tibi quattuor emptus.

XI 47, 1. balnea femineis catervis dilecta«, partic. hoc idem valet quod alias adj. »carus.« Nec aliter res se habet IX 17, 3. »Hos tibi laudatos domino capillos misit«, hic »laudari« vb. sensum habet verbi »placere«. Ubique non ipsa verbi actio sed status actione effectus respicitur.

Reliqua ad formas perf. pass. positi dat. exempla sunt haec: I 80, 1. sportula tibi suprema nocte petita est. IV 47. Phaeton tibi pictus est. IV 66, 15. »Supposita est blando nunquam tibi tessera talo. IV 78, 1. Condita cum tibi sit iam sexagesima messis. V 79, 2. mutata tibi est synthesis undeciens. VII 14, 5. Stellae meo cantata. VIII 33, 3. Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum, IV 89, 5. tamquam tibi res peracta non sit, XI 24, 14 una est nobis pagina vix peracta. XI 40, 3. Quam toto sibi mense non fututam cum quereretur.[1]) XII 52, 2. vox attonitis celebrata reis, XII 5, 1. nobis artatus labor est, XII 5, 2. dies fueras cultus mihi, XII 94, 5. fila lyrae movi Calabris exculta Camenis, I 43, 1. tibi fuimus vocati,[2]) III 52, 5. nil est tibi gulosius factum, VIII 77, 8. Longior huic facta est quam data vita fuit, III 95, 11. Quot mihi Caesareo facti sunt munere cives, nec famulos totidem suspicor esse tibi, VII 82, 3. Abscissa est quare Samia tibi mentula testa. ep. l. 27, 6. Huic percussa foret tota Chimaera semel.

Jam quum ad eos locos accedendum nobis sit quibus dat. ad alia tempora pass. est positus, non alia tamen ratio interpretandi erit adhibenda. Nam ut dat. cum partic. praes. pass. et cum formis perf. pass. coniunctum, dat. comm^ai^ naturam habere cognovimus, sic et hic dat. eiusdem est generis, quoniam ut in activis sic in passivis verborum causativorum quae dicunt notio verbi »esse« latet et hac de causa dat. ad verba passiva ex analogia ponitur locutionis »est res mihi«, licet ipse is sim qui rem ut mihi sit facio. Quod et aliis exemplis cognosci licet et verbo quod activae quidem formae, passivae vero est notionis. Mart. enim ubi dixit, (IX 31, 6.[3]) »cecidit sanctis hostia parva focis«, et. (V 24, 6.) Hermes cui cadit Advolans sed uni,« utroque loco eandem structuram adhibens utriusque loci eandem quoque rationem esse

---

[1]) cf. IV 84, 2: a se Thaida qui probat fututam. VI 31, 2: uxorem sinis a medico futui.

[2]) cf. XI 35, 2: »quare non veniam vocatus ad te.« libri plurimi »vocatus a te« scripturam exhibent, at Puteaneus et Vossianus (A.) »ad te,« quod est praeferendum.

[3]) cf. VII 28, 12; V 35, 7; IX 38, 2, 10; XI 8, 2; XI 42, 9: II 66, 4.

voluit. In utroque igitur loco sine dubio dat. est comm[dī]. Tamen altero loco Hermes cui cadit Advolans idem est qui caedit Advolantem, a quo igitur caeditur Advolaus, neque tamen dicere licet dat. loco abl[i] cum »a« praepos. positum esse, sed dat.° usus est poeta quod Hermem non cogitat ut personam eam, ad cuius commodum casus hic fiat. Quod idem valet in verbis non passivam tantum notionem sed etiam formam servantibus e quibus nonnulla dat. comm[dī] ex ipsa verborum significatione adhibere facile cognosces, quum verbi actio ad auctoris commodum fieri e natura rerum evadat. Tale verbum est »peti«. cf. X 70, 13. Balnea post decimam lasso centumque petuntur quadrantes. XII 26, 4. At mihi quid petitur, XII 94, 10. Hinc etiam petitur iam mea palma tibi. Sic quoque »probari« vb. adhibitur, cujus simile supra commemoravi »laudari« cum dat. constructum. vd. IV 86, 1. Si vis auribus Atticis probari.

Alia iterum sunt verba quae notionem verbi »esse« adeo perspicue continent ut ex huius verbi analogia cum dat. construi possint. Sic »timeri« idem valet atque, »esse timori«. cf. XI 18, 17. mus colono tamquam sus Calydonius timetur. Praeterea huc numeres verba haec: »diligi« VIII 54, 3. »diligeris populo non propter praemia Caesar«, »coli« Xn 15, si vicina tibi Nomento rura coluntur. »haberi« XI 90, 3. Tibi Maeonio quoque carmine majus habetur. »computari« X 38, 10. Aetas haec tibi tota computetur, »credi« IV 31, 2. Nonnullus honos creditur iste tibi. »numerari« III 6, 1. Lux tibi post Idus numeratur tertia Majas. »vocari« I 50. Li tibi Mistyllos cocus Aemiliane vocatur, d i c a t u r quare non Taratalla mihi? IX 12, 3. dictus ab aestivo Therinos tibi mense vocarer. »dici« X 65, 3. Cur frater tibi dicor? »legi« II 1, 7, Quod si cui forte legeris, II 6, 12. si totus tibi triduo legatur. VII 97, 13. uni mitteris, omnibus legeris. H. l. dativo opus erat ut oppositio inter verba quae intercedat clarius perspiciatur; licet enim uni mittatur libellus, tamen ut re vera omnibns sit efficitur. Nam non illius qui possesor est, sed illius qui legit liber est. Itaque vb. »legi« cum dat. sic coniunctum notionem continet verbi »esse« quodammodo modificatam.[1]) — His omnibus igitur verbis dat. appositus quum e notione verborum explicari possit, non est quo offendas. Reliquis vero locis, quibus dat. ad verba passiva positum invenies non ex ipsa ver-

---

[1]) Cf. Buddim. inst. lat. II 4. p. 212 not. 7. Ovid. Trist. II 370. Et solet hic pueris, virginibusque legi.

borum significatione interpretari poteris, sed oportet ad ea revertaris quae supra exposui, nempe personam a qua actio verbi proficiscatur et in qua finis actionis sit positus eandem esse, quare licere scriptori altera personae ad verbum relatione omissa alteram ut unicam respicere. Dat. si ponitur, dat. est commadi. Loci vero eiusmodi qui ap. Mart. occurrunt sunt hi: X 43, 1. Septimo iam Phileros tibi conditur uxor in agro,X 1, 3. »terque quaterque mihi finitur carmine parvo pagina. II 53, 7. Si plebeja Venus gemino tibi vincitur asse, III 38, 7. pangentur carmina nobis, III 60, 4. Sugitur inciso mitulus ore mihi, IV 82, 7. tibi charta plicetur altera. Xn. 59. Tota mihi dormitur hiems. Ap. 17. hac mihi bis seno numeratur tessera puncto. Ap. 38. texantur reliqua tecta palude tibi.

Abl. cum praepos. »a« poeta tum tantum posuit, ubi diserte auctorem actionis indicare voluit. Vd. VIII 17, 3. »a te perdita causa est«. i. e. »tu culpam habes causae perditae«, I 43, 9. aper — qualis necari — a non armato pumilione potest. ep. l. 21, 7. iacuit laceratus ab urso cf. ep: l. 8, 1. — III 69, 7. venerandaque sanctaque verba a pueris debent virginibusque legi, V 84, 2. puer clamoso revocatur a magistro, VIII 51, 10. ab hoc mallet vecta fuisse soror, XI 3, 4. a rigido teritur centurione liber, Ap. 120. dicor ab indoctis lingula grammaticis, V 70, 1. infusum sibi nuper a patrono. — Poeta vero (IV 84, 2.) si dixit »missa nec a querulo mappa cliente fuit, »a« praepos. locum tantum indicat unde aliquid movetur, ut I 3, 8. »ibis ab excusso missus in astra sago, III 1, 1. longinquis mittit ab oris, X 101, 1. al. ll.[1])

Ad alium progredimur dat. usum non nimis remotum a dat.° comm^d^, nam ut verba cum dat. commodi vel incommodi coniuncta sua ipsorum natura haudquaquam ut accedat dat. flagitant, sic ad verba cujusvis generis et per se dat. haud desiderantia dat. poni potest qui significet actionem verbi non omnibus esse eandem sed diversam et discrepantem secundum statum conditionemve seu corporis seu animi, quem quis occupaverit. Ex loco enim quem quis occupat homo res alteri aliter quam alteri alterum locum habenti ostenditur, quo efficitur ut iudicio hominum uni res non sit eadem atque alteri.

Cf. Liv. 26, 26. § 2. Sita Anticyrra est in Locridi laeva parte sinum Corinthiacum intrantibus. Senec. nat.

---

[1]) Cf. Kampmann: de ab praepos. usu plautino I 1. progrm. gymn. Elisab. Vrastisl. 1842. Plaut, Bacch. 2, 3, 92. Epid. I 1, 56. al. ll.

quaest. I 3, 9. poma per vitrum adspicientibus multo majora sunt.

At non locus tantum sed omnino status habitusque totus hominis efficere potest ut ei iudicanti res alia sit quam quae aliis hominibus esse videtur. Itaque dat. appositus tum significat, rem aut personam ex iudicio personae cuiusdam quodam modo esse modificatam hoc vero indicium non per se verum esse, sed tantum si ad personam iudicium facientem referas. Huiusmodi dativis Mart. haud paucis usus est, verbi causa, si dixit IX 70, 9, 10. Non nostri faciunt tibi quod tua tempora sordent, sed faciuut mores Caeciliane tui«, verba »tibi sordent« significant, »ex tuo iudicio qui tales mores habes sordent, non ex aliorum hominum iudicio«.[1]) Cf. IV 40, 4. »Pauper eras et eques sed mihi consul eras«, hic diserte dictum est iudicium non generaliter verum esse sed uni personae, contrarium quam ceteri iudicanti. Reliqui huius generis loci sunt hi, I 112, 2. idm mihi Priscus eris. ep. l. 9, 4. quantus erat taurus, cui pila taurus erat. Ap. 53. Hic erit ille tibi cui pila taurus erat. III 93, 16. cum bruma mensem sit tibi per Augustum. IV 5, 3: »unus erit satis, cui non eris hospes. VI 43, 5, 6. Hoc mihi Baiani soles mollisque Lucrinus, hoc mihi sunt vestrae Castrice divitiae. IX 18, 8: Castalis haec nobis aut Jovis imber erit. IX 58, 6: Tu fueris Musis Pegasis unda meis. XI 75, 6: Omnes an tibi nos sumus spadones? XII 80, 2: cui malus est nemo, quis bonus esse potest? XI 39, 5: sed tibi non crevi. XI 87, 2: tibi nulla diu femina nata fuit. Xn. 1, 7: Haec mihi charta nuces, haec est mihi charta fritillus. V 14, 11: Jactat equiti sedere Leitoque se stare: Xn. 63. Nunc mihi Gallus erit. Ap. 168: Iste trochus pueris, at mihi canthus erit. Ap. 213: Parma tibi scutum pumilionis erit. II 2, 12: Quam multis sic quoque longus eris. IV 83, 4 nec quisquam liber nec tibi natus homo est. X 73, 5: vilior haec nobis alio mittente fuisset. Xn. 85. Pellanae prior est gloria nulla gulae.

Interdum participia tertio casu sic ponuntur, quibus status qui sit et ratio considerantis rem aliquam iudiciumque facientis accuratius definitur. Cf. Horat: sat I 1, 50: »Vel dic quid referat intra naturae fines viventi iugera centum an mille aret?« Ap. Mart. quattuor eiusmodi locos inveni. II 30, 2: donanti non grave munus

[1]) Ap. hoc vb. judicii dat. usitatior fere esse videtur cf. Catul. 61, 136: Sordebant tibi villicae. Plaut. Tr. 2, 4, 47. Mart. ep. IX 17, 2: tibi noster eques sordida conditio est.

erat, Xn. 22, 2: Sed non potanti me tibi nectar ero. X 23, 5: nulla recordanti lux est ingrata gravisque. Ap. 198: Narranti brevis est pagina tota mihi. —

De duplicis dativi usu quod attinet ad Mart. quum supra iam nonnulla commemoraverim, restat ut referam de structura verbi licet, ubi cum verbo »esse« est coniunctum.[1]) Vulgo »licet« vb. simplicem prope se habet infinit. sive activi sive pass. ut I 86, 5: cui liceat frui sodali; VII 65, 4 cui vinci Gargiliane licet al. l., at ubi cum »esse« verbo constructum est semper dat. duplicem sibi adscivit. Loci vero sunt hi: VI 43, 10: Et satis est, pigro si licet esse mihi. IX 11, 16 »nobis non licet esse tam disertis. X 19, 11: Quid faciet pauper cui non licet esse clienti? XI 27, 5 Penelopae licet esse tibi sub principe Nerva. Alio denique loco (I 55, 7): cui licet exuviis nemoris rurisque beato ante focum plenas explicuisse plagas. »beatus« vox fere participialem induit notionem, »beatus factus« ac si dictum esset, significans. Acc. cum Infinit. ap. »licet esse« locutionem nusquam positus est et unus quod sciam omnino ap. Mart. invenitur locus quo in simili locutione eam adhibitam invenies structuram: II 18, 7: »esse sat est servum iam nolo vicarius esse,« quo l. Heinsius temere coniecit »servo« scribendum esse, nam »servum esse« hic unam continet notionem serviendi ut nos dicimus »Sclave sein,« opposita vero est notioni: »vicarium esse.« Cf. Catul, ed Lachm. 6, v. 28, 29: »Sed tu insulsa male ac molesta viris per quam non licet esse negligentem.« »Negligentem esse« una est notio: »Nachlässig sein.«

Ceteris iam peractis restat ut quaeramus inveniaturne ap, Mart. dat. qui non verbo sed substantivo regatur. Atque sunt ll. nonnulli qui ejusmodi dat. exhibere videantur quum tamen re vera dat, a verbo »esse« aut apposito aut cogitando pendeat et sit dat. qui dicitur commodi. Nam si dixit Mart. I 4, 4: Materiam dictis non pudet esse ducem,« non coniungendum est »materiam dictis« et dicendum id esse pro »materiam dictorum,« sed construi debet, materiam esse dictis« ut fere dixeris: »materiam esse mihi,« nempe ita ut »dictis« vox personae partes sustineat, quod non abhorret ab ingenio temporis quo vixit Mart. iam absolute magis cogitante. Idem iudicandum alio loco: Ap. 35 »cum fieret tristis solvendis auctio num-

[1]) Cf. Dr. Müller: de attractionis ap. latinos eo genere quo post vb. licet et similia dat. vel accusativum praedicati cum verbo infinito »esse« et aliis eiusdem potestatis iungunt. Glogav. 1846. progr. Gymn. cath.

mis,« ubi nos quidem dicimus »Eine Versteigerung zum Zweck der Bezahlung« latine vero construendum est: cum auctio fieret nummis i. e. ad commodum nummum. Facilius hoc cognoscitur iis exemplis quibus re vera persona posita est. cf. V 16, 2 »tu causa es mihi,« ubi vocem »mihi« ad vb. »esse« pertinere apparet. Cf. III 50, 1. haec tibi est causa; X 36, 8 haec causa tibi est, ne—; X 72, 4: non est locus nobis; VII 17, 4; si quis lascivae fuerit locus Thaliae. XII 50, 7: sed nec cenantibus usquam, nec somno locus est. V 5, 5: sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis; ubi »nostris libellis« est dat. comm^{di}, »tibi« dat. ad simplex verbum esse positus. Jam ubi »esse« vb. omissum est non dubitabis cogitando addere: cf.: XII 68, 1: urbis mihi causa relictae; VIII 51, 33: auctor enim tanti muneris ille mihi; IX 48, 1 cum heredem me tibi iurares; I 76, 1: O mihi curarum pretium non vile mearum. XII 75, 8: fastus malo, quam dotis mihi quinquies ducena.

Dat. Mart. ad interiectiones posuit hasce: »vae«: II 60, 3; V 33, 2; IV 28, 7: vae tibi; »hei« II 1, 12 hei mihi.

Pars II.

Huic de dat° ap. Mart. quaestiunculam aliam adnectere ansam mihi dant loci duo quibus vb. »invitare« cum dat. an cum abl. sit constructum dubitari potest. Sunt vero lori hi: (IV 68, 1) »invitas centum quadrantibus et qu. sq.« (IX 101): »Denariis tribus invitas et q. sq.« Equidem quamquam fuerunt, qui invitandi verbum cum dat. constructum contenderent,[1]) videre non possum quomodo id fieri potuerit, quum analogia verborum appropinquandi, similium nimis sit remota et tertio casu inesse nullam vim localem iam supra sit demonstratum. Necesse igitur est »quadrantibus« »denariis« formas sextos esse casus, quare plane adstipulor Kritzio ad Sall. hist. IV 26, exemplis eiusmodi nonnullis allatis, dicenti: »Quo sensu quum invitare respondeat vernaculo bewirthen, per se intelligitur, ubi additur »vino, cibo, epulis, poculis« aut simile ablativo casu has voces positas esse non dativo cui in tali sententia locus esse nequit.« Cf. Zumpt: Cic. Verr. IV 11, — Neque tamen cum Friedlaendero[2]) dixerim abl. hunc esse pretii, »denariis centum inv.« verba interpretante: »Du bewirthest mich zum Preise von 100 Quadranten;« coena enim pretium habet et cibi qui ponuntur, ipsa vero invitatio nullum; qua de re dicendum fuisset: »inuitas coena centum quadrantibus.« Itaque non quadrat exemplum illud abl' pretii quod attulit Friedl. (XII 26, 13): Et »rogat ut secum cenet Laetorius« inquit; Viginti nummis? — sed locis de quibus agimus abl. est instrumenti. Quae sententia vel plus approbationis accipit eo quod dubium est veramne ad cenam invitatio fuerit an ad pecuniam accipiendam. Et ea ipsa est res quae occasionam mihi praebet ut quaestioni de dat. usu ap. Mart. adiungam quaestionem de sportula, quae dicitur Romanorum. Friedl, enim (l. l.) quum non

---

[1]) Cf. Ruddim. inst. lat. Il tom. II 28. App. I not. 29.
[2]) L. Friedlaender: Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms etc. I p. 250 sq. Ueber die sportula der Clienten.

alio usum se esse de ea re scripto professus sit nisi Beckeri (Gall. II 136, sq.), Buttmann vero iam antea latius de sportula Romanorum disputaverit (Bibl. critic. anni 1821 p. 390 sq.) discrimina vero non exigui momenti inter utriusque viri docti sententias existant, operae habui pretium retractare quae ab hisce viris insignibus nondum ad certam verisimilitatis speciem fuerint traducta.

Jam Friedl. si contendit Suetonii verba (Ner. c 16): »publicae cenae ad sportulas redactae« tantum de epulis valere ab imperatoribus institutis dubitatio existit maxima. Perspecto enim toto Suetonii loco[1]) et e verbis, »animadversa severe et coercita sq.« et ex praescripto hoc de quo agimus sequenti elucet loqui Suet. de legibus ad sumtum coercendum editis. Itaque non de publicis imperatorum epulis, sed de privatorum hominum sermo est. Quod probabilitatis augmentum maximum accipit altero loco ab hoc non separando Suetonii (Domit. c. 7): »sportulas publicas sustulit revocata rectarum cenarum consuetudine.« Apparet de eadem re utroque loco agi. Quid igitur si vera est Friedl. opinio, quid quaeso faciamus cum scriptore qui Neronem coenas publicas sustulisse, Domitianum revocasse quum narraverit, dicat de Vespasiano (v. Vesp. c. 19): »Sed et convivabatur assidue: ac saepius recte ac dapsile, ut macellarios adiuvaret.« Non verbum puto porro ei credendum. Neque excusetur ratione qua Friedl. rem exponit (p. 138.) dicens:« »Statt »der öffentlichen Gastmähler führte Nero der Ersparniss »halber Vertheilungen von Geld oder Speisen (sportulae) »ein, Vespasian veranstaltete wieder öfter wirkliche Mahl»zeiten und Domitian stellte die alte Sitte durchaus her.« Hoc enim a Suetonio dictum non est, et tamen si verum est ab eo diserte dici debuit, ne summae negligentiae in vituperium incideret. At omne tale crimen diffugit ubi repudiata Friedl. opinione Neronis et Domitiani praescripta in privatos esse data intelleximus. Quod ita esse vel certius fiet, ubi infra ad Domit. legem erit recurrendum. Neque tamen toto animo assentire possum Buttmanno qui usum sportularum iam ante Neronem increbruisse postquam contendit pergit: Neronem nihil fecisse excepto quod hunc morem et confirmaret et pervulgaret. Non satis accurate rem significasse neque perspicuam rei

---

[1]) Suet. l. l.: »Multa sub eo animadversa severe et coercita, nec minus instituta: adhibitus sumtibus modus: publ. cen. ad sport, red., interdictum ne quid in popinis cocti praeter legumina aut olera veniret et qu. sq.«

notionem habuisse mihi videtur, nam non tam firmavit et omnibus communem hunc usum fecit Nero quam potius a cenis privatis eum transtulit ad cenas publicas. Quare Beckeri sententia[1]) non tantum vituperationis meruisse mihi videtur quantum Friedl. ei tribuit. Nam ut iam ipse quid censeam accuratius exponam, ita rem esse statuo: Mos mane salutandi antiquus fuit.[2]) Naturae conveniens est cives, praeter ceteros, pauperes venisse ad salutationem potentum, sperantes fore ut commodi aliquid sibi acquirerent. Jam quum ex numero salutantium concludi posset quamnam auctoritatem dignitatemque aliquis haberet honestum habebatur quam plurimos sibi conciliare qui venirent. Divites igitur et potentes efficere id studebant commodis quae salutantibus tribuerent. Antiquiore tempore id eo assecuti sunt quod ad cenam invitabant.[3]) Paullatim quum cresceret cum ambitione potentum numerus eorum qui mane ad salutationem venirent molestum erat ac fere fieri non potuit ut pro pretio salutationis satis saepe omnis salutator ad coenam vocaretur. Tum mos ille sportularum ortus est i. e. munus pro mercede salutationis dandi; — cibi aut pecunia aut utrumque distribuebantur. Qui mos quum tempore Neronis invaluisse iam videretur[4]) ab illo ad coenas publicas est translatus. Publicas vero cenas eas fuisse cum Buttm. intelligamus quas divites Romani interdum instituerent festis quibusdam diebus, ut quo togam virilem sumerent vel nuptias facerent vel inirent magistratum vel opus publicum dedicarent, aliis.[5]) Ad has cenas non quidem totum populum — nam id Caesaris tantum erat — at magnum hominum numerum esse vocatum. Atque has tantum cenas publicas tollere vel potius ad sportulas redigere potuit Nero, quis enim est tyrannus quamvis acerbus qui impedire possit quominus ad cenas domesticas amici amicos vel patroni vocarent clientes? Nihilominus quum lege transtulisset morem sportularum domesticarum tum increbrescentem ad cenas publicas multum sine dubio attulit ad usum sportularum stabiliendum et pervulgandum. Tum paullatim ad eum statum venit usus sportula-

---

[1]) Beck. l. l.: »Zu Neros Zeit kam die Sitte auf, Geld (?) statt des Mahles zu geben und der Kaiser verordnete dies auch in Beziehung auf die publicae cenae.«

[2]) Cf. Cic. ad Paetum ep. 9, 20.

[3]) Cf. Horat, epis. 1, 7. 75: Mane cliens et iam certus conviva. Senec. ep. 19 § 10. Lucian. Nigr. 22.

[4]) Cf. Senec. brev. v. 14, 6. meritoria salutatio.

[5]) Cf. Plin. 10 epis. 117.

rum, quem tempore Martialis fuisse invenimus. At quamvis in hoc tempus satis multa exstent testimonia Juvenalis, Martialis, aliorum, plura tamen incerta manserunt. Qui enim erant, qui sportulas acciperent? Beckeri opinionem, sportulam non datam esse nisi iis qui quotidiana officia anteambulandi, cetera praestiterint, non iis qui tantum matutinum ave dixerint — quod concludit ex epigr. IX 85. X 74 — falsam esse non difficile erit demonstrare. Jam iis locis elucet, quibus mane salutatio ut ea res commemoratur qua sportula sit merenda.[1]) Deinde quem in modum plures sportulas colligere licuisset si vera esset Beckeri opinio? Certe enim unius tantum comites esse pótuere clientes, unius tantum sellam praecedere, uni cetera praestare officia. Et tamen non fieri tantum potuit ut plures sportulae ab uno colligerentur, sed etiam raro id non factum esse videmus epigr." I 80:

Sportula Cane tibi suprema nocte petita est
occidit puto te, Cane quod una fuit.

Quid denique profuit basia mille domum referre (XII 20) si inde merces non acquirebatur? Fortasse etiam ex Juvenalis verbis (sat. I 127:) »Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum: sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo et qu. sq.« concludat aliquis mane — salutationem suffecisse ad sportulam acquirendam, nam si mane salutatores statim acceperunt sportulam, quis neget eam mercedem fuisse salutationis? At caveamus hoc admittere argumentum nam dubium esse puto, sequaturne omnino ex hoc loco mane sportulam esse divisam. Nam Buttm. qui re vera ex hoc potissimum loco conclusione facta dicit: » . . . . so verband sich, wenn die sportula Statt fand, diese natürlich mit der salutatio. Die sportula stand gleich bereit für die Aufwartenden etc.« errat aperte quod quidem attinet ad Mart. tempus; ille enim disertis verbis diei tempus indicavit, quo sportula dividebatur: (10, 70, 13) »Balnea post decimam lasso centumque petuntur quadrantes.« Cf. III 7: quo loco balneator elixus sportulas divisisse dicitur. Ita quoque intelligendum est epigr. 125 Ap.[2]), nempe frequenter mane salutando sportulas vespere esse acquirendas, quod ita esse posse vel Buttm. concedit. At ne Friedl. quidem sententiam probaverim qui Martialis quidem tempore sportulam vespere esse divisam, Juvenalis vero mane, salutatione finita, arbitra-

---

1) Cf. XIV 125. VI 88. XII 26 al. ll.

2) Mart. l. l.: Si matutinos facilest tibi perdere somnos, attrita veniet sportula saepe toga.

tur. Sed hic sequor potissimum Schmiederum[1]) qui »sportulam« vocem Juvenalis loco pro salutatione positam censet, quamvis id durum videatur Buttmanno.[2]) Quod equidem minime durum puto, nam sportula quum causa et summum salutationis fuerit haud insulse me quidem iudice egit Juv. si pro re acta posuit rem actione petitam. Quod vero maxime ut ita rem se habere credam me movet, non est quod haud verisimile ducam patronos tempus sportularum distribuendarum mutasse nisi aperto ipsorum commodo, sed hisce in meam sententiam sum ductus: A salutatione matutina civis patrono notus nemo potuit excludi. Quis enim ius habuisset salutandi, quis non? An invitari debebant qui salutarent? Non credo. Itaque si in ipsa salutatione sportula dividebatur, quominus omnis salutator eam acciperet non potuit prohiberi. Itaque non quem patronus vellet mercedem frequenter salutandi accepisset, sed quem fors tulisset salutantem diebus quibus sportulae distribuebantur. Haudquaquam enim quotidie sportulae salutatoribus sunt datae, quoniam Mart, tum queri non potuisset sibi quum basia mille retulerit mercedem dari viginti nummum. (cf. XII 26) Praeter haec constat ad sportulas accipiendas invitatum esse.[3]) Invitationem igitur factam esse arbitror post salutationem iis qui frequenter mane veniendo eam sibi meruerant. Id eo modo factum esse videtur quo descripsit Mart. ep. XII 26. v. 12, 13.[4]) Licebit hic redire ad locos illos a quibus initium huius quaestiunculae feci (IX 100; IV 68.) ubi dubium esse dixi veramne ad cenam an ad pecuniam accipiendam esset invitatum. Sic enim diserte usurpatum videmus hoc verbum a Plinio (X ep. 117) et a Traiano, (Plin. ep. X ep, 118.): »Merito vereris ne in speciem dianomes incidat invitatio quae et in numero modum excedit et quasi per corpora non viritim singulos ex notitia ad solemnes sportulas contrahit«[5]). Alias igitur viritim singuli ex notitia invitabantur. Quocum convenit Juv. descriptio eius rei quam fecit sat. I 97. sq: »Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat ne suppositus venias ac falso nomine poscas.« Ceterum quas Traianus apellavit

---

[1]) Excurs. de sport. ad I, 60.
[2]) Cf. Bibl. crit. 1821. p. 405 not.
[3]) Cf. Mart. ep. X 100. Plin. epis. X 117. Mart. VIII 50, quo l. Domit. consulatum iniens populum patresque ad sportulam invitasse refertur.
[4]) Mart. l. l.: accedit gelidam servus ad auriculam et »rogat ut secum cenes Laetorius« inquit.
[5]) Cf. Buttm. l. l. pp. 394. 395.

sportulas solemnes easdem esse putaverim quas Suet. (v. Dom. 7.) nuncupavit publicas, scilicet quae loco cenarum rectarum diebus festis dabantur et maiori hominum numero et ipsae largiores. Si vero Friedl. loco Juven. laudato aliam sportulam intelligit, nempe iis qui praecedente die cenassent postridie mane a cenae patre sportulam esse datam contendit, errore eum labi non est dubium. Nam quum ea maxime re nitatur quod nobiles viri (Troiugenae), praetores, tribuni, divitesque liberti ad sportulam accipiendam venirent id ipsum contra eum pugnat. Juv. enim qui avaritiam vilesque suae aetatis animos castigare propositum habet ostendit quem ad modum ipsi nobilissimi humillima quaeque non vitent et miserrimum maximeque exiguum quaestum non aspernentur sed vel quantum rationibus addant sportulae computent. Itaque ostendit promiscue illos cum pauperrimis vilia haec munera petentes, ex quibus hi victum quaerunt.[1]) Quare non credendum Friedl. dicenti: »Dass der Betrag auch dieser sportula bei Juv. auf 100 Quadranten angegeben wird, ist wohl nicht buchstäblich zu nehmen.« Sed id ipsum humiles inhonestosque nobilium animos clarissime demonstrat quod misellos illos centum plumbeos quadrantes tam vehementer petant. Neque Juv. solus ea de re nobiles divitesque castigavit, sed idem a Mart. factum qui queritur pauperibus propter divites iam non licere clientibus esse.[2]) Id quoque intelligere non possum cur si munus cenantium fuerit haec sportula non in ipsis epulis sit datum, sed illi honorifici epulatores coacti sint postridie ipsi venientes petere. Neque non sibi ipse repugnat Friedl. quum ad idem genus sportularum referat Plin. verba (II ep. 14 § 14.) »tam palam sportulae quam in triclinio dantur« quoniam Juv. diserte dixit: »nunc sportula primo limine parva »sedet«. Martialis quoque locum hunc (X 27.) Friedl. in suam sententiam vertit: »Natali Diodore tuo conviva senatus accubat et rarus non adhibetur eques, ac tua tricenos largitur sportula nummos.« Ipse hunc locum cum Buttm. potius interpretor, nobiles re vera ad epulas esse vocatos, clientes vero largiorem vulgari sportula accepisse.

---

[1]) Cf. Juv. sat. I v. 119. »Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus, hinc est et panis, fumusque domi?« Quod non vertendum est ut vertit Siebold: Was solln Niedere thun, die den Rock da nehmen, den Schuh dort etc.« sed: »die von hier den Rock, von hier den Schuh nehmen,« nempe sportula togam solvunt, panem, fumum, reliqua ad victum necessaria omnia. Cf. Mart. ep. III 30: »Sportula nulla datur. Unde tibi togula est et fuscae pensio cellae? Unde datur quadrans? etc.«

[2]) Cf. Mart. X 10. II 18.

Quod in Plinii quoque verba (epis. II 14, § 14.) supra commemorata valere puto. Ne alter quidem Plinii locus (X epis. 117.) et Ammiani[1]) quos attulit Friedl. ejus sententiae favent, nam utroque de cenis nullus sed tantum de pecunia distributa est sermo. Jam redeo ad locos illos quibus Becker ad opinionem de merenda sportula supra refutatam est perductus IX 85. IX 100. X 74. Hi loci demonstrant genus fuisse civium qui non tantum mane salutando sed praecipue officiis multo molestioribus sportulas acquirere sibi studerent. Cum Buttm. cives fuisse hos credo pauperes qui in unius divitis clientelam se dederant et ab illo victum accepere. Hi operam praestabant quam dixit poeta togatam (ep. III 46.), hi lecticam praecedebant, hi si in turbam inciderat cuneos umbone repellebant, hi si dominus quidlibet in causa narraverat tergeminum mugiebant sophos, si lis orta ingenti voce convitia faciebant. Hi sunt Juvenalis illi veteres lassique clientes qui vestibulis abeuntes vota deponebant et coenae spem longissimam habebant. Sine dubio non ut ceteri salutatores certis tantum quibusdam diebus, sed quotidie centum accipiebant quadrantes et tamen, quoniam sportula initio cenae rectae loco data certa iam officiorum merces erat facta et origo eius magis magisque in oblivionem inciderat, in spem cenae iterum erigi coepti sunt. Quae spes licet saepe, non semper tamen fefellisse eos videtur. In hunc igitur statum sportularum usus paulatim quum profectus esset quaestio tamen restat unde venerit ut Domitiani tempore aliquamdiu sportula fuerit sublata cenarum rectarum consuetudine revocata. Factum enim id testantur epigr. Mart. haec, III 7, 30. 14, 60. Friedl. sententia patronos ipsos parcendi studiosi hunc usum restituisse haud probabilis mihi videtur, quippe quod intelligere non possum quomodo patroni conspirare potuerint ut sportulis subito sublatis coenas revocarent rectas. Nam ejusmodi mutatio non subito ex unius partis arbitrio perfici solet sed aut paullatim invalescere aut lege ab imperatore iuberi. Neque verum esse potest sumtus minuendi causa sportulam esse sublatam quum Suet. narret Neronem sumtus coercendi causa cenas publicas ad sportulas redegisse. Fefellissent igitur aut patroni aut Nero opinione quum contrarias res eundem effectum habere non posse pateat. Itaque non a patronis mutatio illa facta

[1]) Ammian. XIV 6, 24: Quidam vigore artuum imminuto rogati ad nuptias ubi aurum dexteris manibus cavatis offertur impigre vel usque Spoletinum pergunt.

est sed ab imperatore. Quod quum ita esse oporteat non temere hanc mutationem referamus ad verba illa Suetonii (v. Domit. c. 7.) »spor. publ. sustulit revocata cenarum rectarum consuetudine«. Unde invicem iterum probatur id praescriptum privatis esse editum non ipsi sibi a Caesare. Tamen offendat fortasse aliquis ea in re quum quaeri possit quamnam habuerit huius praescripti causam Domitianus, quoniam Neronis quidem voluntas in sportulis instituendis perlucida sit et utilis Domitiani vero in sportulis abrogandis plane obscura. Licet enim plane assentiam Buttm.[1]) Neronis edictum quippe quod sumptum coerceret haud absurdum fuisse, Domitiani vero et acerbissimum et contra rerum naturam, tamen ne acerbior quidem tyrannus Domitiano — si esse potest — aliquid sine ulla causa et consilio iubere solet. At haud scio an causa quam habuerit legis suae Domit. inveniri queat in verbis illis Traiani supra laudatis. (Plin. X ep. 118.) Nam si Pliniis Traianisque sportularum distributio modum excedere interdum et in dianomes speciem incidere videbatur, quam credis res periculosa tam timido acerboque tyranno qualem Domit. fuisse scimus videri debuit! Ergo non patronorum, non clientum commodum spectans sed ut molestius difficiliusque redderet divitibus magnum hominum numerum sibi conciliare legem suam tulisse mihi videtur. Quum enim sumptuosius esset cenas quam sportulas dare necessario sequebatur ut et rarius et in pauciores cives dividerentur. Nero igitur sportulas praescripsit ut sumptus divitum coerceret, Domit. sustulit ut sumptus eorum augeret. — Unum tamen est quod me pungit. Publicas enim cenas Nero, publicas sportulas Domit. sustulisse fertur. At fortasse sportularum publicarum et domesticarum usus initio seiunctus, Domitiani tempore — ut fieri fere solet in rebus similibus — iam ita coaluerant, discrimen in hominum memoria adeo evanuerat, ut quae sport. publicae quae domesticae discerni amplius non posset, quo factum ut qui unas tolleret quas seiungere non magis licebat omnes aufferret. Quae quum ita sese habere arbitrer ne rationem quidem possum probare qua Friedl. Mart. epigr. III 14 fuerit interpretatus, sed Schmiederum, reliquos interpretes sequor. Est vero epigr. non plorantis

[1]) Buttm. l. l.: »Neros Verfügung hatte als ein Luxusgesetz Sinn, aber dass jeder angesehene Mann künftig seine Freunde und Klienten wieder ordentlich zu Gaste laden sollte, dies konnte ein Despot wie Dom. war wohl befehlen, auch eine zeitlang einigermassen durchsetzen, aber sehr bald musste dies wieder in die natürliche Willkühr zurückfallen, was denn auch unter Domit. selbst schon geschah.

sed exsultantis vel gaudio exsultare simulantis ut Domitiano blandiatur. Ille enim tacite Neroni, regi superbo opponitur.[1]) Ceterum concedo Friedl.° verum acumen carmini deesse, sed ne ipsius quidem si accipimus interprefationem vere iocosi quid habere epigr. persuadere mihi possum, sed ne opus quidem est habeat, quippe quod non facetiae sed blanditiae Martiali praeferuntur ubi Caesar carminum materiam praebet, quod ipse inscius fatetur poeta in epist. ad Domit. libro VIII° praemissa: »minus itaque«, ait »laborandum fuit in cuius locum materia (i. e. Caesar) successeret.«[2])

Restat ut pauca addam in animadversiones nonnullas Buttm.' cui adstipulor arbitranti sportulae nomen ampliore quoque sensu adhibitum esse ut significet totum clientum a patronis commodum. cf. ep, IX 85. VII 87. Ceterum si priore carmine (IX 85.) animadvertisse sibi visus est, duo esse conflata quod duo insint acumina, hoc quidem negari non potest, tamen non sequitur duo esse epigr., sed Martiali hoc qnoque in carmine accidisse arbitror quod ei accidisse in ep. 44. l' III' Lessingius probavit, nempe ut abundantia quadam salis duo acumina in uno poneret epigr.' Denique respondere velim Buttmanno ad ep. I 80 interroganti unde venerit quod Canus unam tantum sportulam suprema nocte adipisci potuerit. Res puto patet, certo enim credi non potest Canum re vera ira ob unam tantum sportulam reportatam mortuum esse, sed morbo exstinctus est. Quamvis igitur iam esset aegerrimus, tamen adeo avaritia eum stimulavit ut mane salutando pecuniam colligere pergeret, sed suprema nocte viribus deficientibus non nisi unum dominum adire potuit. Hoc tam graviter eum afflixisse iocatur poeta ut pro vera mortis causa sit habendum.

---

[1]) Cf. Mart. ep. lib. 2 v. 8. feri regis atria. i. e. Neronis.

[2]) Plane similiter altera lege data laudat poeta Caesarem ioco blanditiis postposito. VI. 4., IX 6.

Pars III.

Plusquamperfecti usus quum apud Latinos latius pateat quam nostra in lingua tum apud Mart. haud pauci sunt loci ubi alius temporis loco stare videtur. Quum vero putarem unum quodque tempus suam semper debere sequi naturam inquirere — quantum quidem ad Mart. spectat — mihi proponebam quo factum sit ut plsq. vel impft' vel pft' naturam induere videatur. Est vero — ut apud omnes constat — plsq. tempus relativum quod indicat quid antea sit factum quam quod pronuntiatur aoristo praeteriti. Itaque non poterit adhiberi plsq. nisi ubi possit referri ad aoristum praeterrti sive eum verbis ipsis pronuntiaveris seu cogitando addideris.[1]) Usus igitur plsq" quem maxime ex ejus natura esse dixeris erit ubi pft. historic. — ut dicunt — principali in apophtegmate locum tenet, plsq. vero relationem suam ipsa structura relativa qua cum aor. praet. coniunctum est indicat. Qui usus et apud ceteros scriptores et ap. Mart. frequentissimus sane est. Videas lib. epigr. 10 v. 4: »Qui non tulerat verba, tela tulit. VI 82, 8: »Me quem dixerat esse non negavi.« Sed fieri etiam solet ut relicto simplicissimo loquendi genere plsq. solutius sit positum, speciem temporis absoluti prae se ferens nullo pronomine neque particula relatiuo perf. historico subiunctum, ita tamen ut vel antecedente vel subsequente perfecto, relatio inter ea quae sit facile intelligatur. Neve mireris hanc construendi rationem maxime placuisse Martiali quippe quae valde est idonea poetae qui brevitate vult placere. Vd. ep. libr. VI 85, 7: »Heu quam brevis occidit aetas! Viderat Alphei praemia quinta modo.« VIII 56, 7; »Jugera perdiderat, flebat et abductas Tityrus ae-

---

[1]) Neque enim — ut infra apparebit — verum est quod Ramsh. contendit (gramm. lat. Synt. III § 164 II, 3.) dicens: »Das Plsq. bezeichnet nur Zustände, die vor dem Anfange eines andern völlig vorbei waren und kann daher auch nur in der Nähe eines andern praeteriti stehen, auf welches es zu beziehen ist.«

ger oves, risit Tuscus eques et qu. sq.« Imo ipsa interdum constructio prorsus est mutata ita ut plsq. nulla addita particula relativa sit positum, perf. vero subsequatur pronomine vel particula relativa annexum. Quae tamen structura mutatio nihil valet ad labefactandam rationem logicam quae intercedit inter perf. et plsq. quum re vera remaneat perf tempus absolutum et regens, plsq. vero tempus relativum, quippe quod suspensum facit animum et eget perfecti. At id hac construendi ratione efficitur ut plsq. quoniam positum ut tempus regens magis legentium vel audientium animos in se convertat, quo maior eorum fit suspensio et vividior multo et excitatior oratio. Cf. I 82, 5: »Gestus fuerat, recesseratque, victa est pondere cum suo repente porticus« VIII 3, 9: »Finieram quum sic respondit nona sororum.« Omnibus vero his in locis haud quaquam dubium esse potest, quin plsq. suam semper retineat naturam, quoniam perf. hist. est appositum, quo ita referatur ut indicet aliquid antea, vel ad id temporis sit factum. Videamus igitur ceteris in locis ubi non perf. hist. sed aut praesentis aut futuri tempus est additum, alius temporis locum teneat an suum. Atque viam quidem et rationem qua hunc interpretemur usum iam indicavi, nam ita certe statuemus plsq, non ad praesens vel futurum re vera esse referendum sed ad tempus in medio positum perfecti quod cogitando addideris, neque tamen ita addideris ut fortuitum et arbitrio sumptum, sed quod vel ex natura verbi, vel ex loci sensu et habitu possit intelligi. Mart. enim si dixit: (ep. l. 2, 8:) »Hic ubi miramur velocia munera thermas, abstulerat miseris tecta superbus ager« nobis quidem vertere licet »nahm weg,« quia cogitamus non de momento temporis sed de toto temporis spatio quo quod ager abstulerat, aberat; contra poeta verbo auferendi nihil significavit aliud nisi ipsam eripiendi actionem. Si igitur quid sit quaerimus quod si addamus loco laudato plenam faciat locutionem, fortasse hoc modo dicendum fuit: »Hic ubi miramur velocia munera thermas qui abstulerat tecta ager fuit.« Indicat igitur hic quoque plsq. quod ad id temporis vel antea fecsit quam quod perfecto pronuntiatur, nam non fuit ager nisi prius tecta erant ablata. Aut, quia ager non tantum priusquam ager fieret — ut ita dicam — abstulerat tecta, sed eo ipso quod ager erat auferre perrexit, quoniam ne qua conderentur prohibebat rectius fortasse ex sensu loci interpretabimur: »Hic ubi mir. veloc. mun. therm., priusquam haec mutatio est facta abstulerat et qu. sq.« Quam interpretationem probabilitatis augmentum accipere puto a simili loco: (VII 61, 1:) »Abstulerat totam temerarius

institor urbem — iussisti tenues, Germanice crescere vicos.« Hic enim perf. quo referatur plsq, additum est: nempe usque at tempus quo tu iussisti abstulerat, desiit vero auferre simul ac iubere coepisti. At non ubique tam facile ex verbi ipsius notione ac natura plusq.[1] usurpatio poterit exponi, sed ex totius loci indole atque sensu acriter accurateque perpendendo. Opus igitur erit locos ex Mart. libris investigatos qui ejusmodi esse mihi videntur hic apponere, quod ita tamen faciam ut a ceteris verbis hoc modo adhibitis seiungam plsq.[1a] »feceram, dixeram, fueram.«

Cf. II 9, 2. Scripsi, rescripsit nil Naevia, non dabit ergo. Sed puto quod scripsi legerat, ergo dabit. III 4, 8. »Quando venit? dicet: tu respondeto: Poeta exierat: veniet cum citharoedus erit. IV 44, 1. Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris: presserat hic madidos nobilis uva lacus, VI 10, 6. Quam placido nostras legerat ore preces. IX 20. Haec infantis domini conscia terra fuit, hic steterat veneranda domus. VIII 55. Unde tuis Libye tam felix gloria silvis? A Cybeles numquid venerat ille iugo? IX 45. Miles modo Getici tuleras sidera pigra poli, ecce Promethei rupes et fabula montis quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis. XII 18, 15. Et totum mihi nunc repono quidquid ter denos vigilaveram per annos. Ap. 139. Jungere nescisti nobis o stulte lacernas. Indueras albas, exue callainas. IX. 50. Duxerat esuriens locupletem pauper anumque: uxorem pascit Gellius et futuit. I 4. an ideo tantum veneras ut exires? VII 82, Hunc ego credideram voci parcere suae. Dum ludit delapsa est misero fibula »verpus erat.«

Jam ad interpretanda exempla aliqua accedimus, nam dummodo unum vel duo recte explicare nobis contigerit, certo non opus erit omnia perscrutari quippe in quibus eadem quidem tractandi ratio erit adhibenda. Ac primum quidem quod adscripsi hoc est (II 9, 2.) »Scripsi, rescripsit nil Naevia, non dabit ergo. Sed puto quod scripsi legerat, ergo dabit.« Profecto exspectamus perf. logicum non plsq. et potuit sane poni sine ulla, ut puto, offensione. Quaeritur igitur quod sit discrimen inter utramque loquendi rationem quod ex natura temporis utriusque evadat necesse est. Nam si dico: »Quod scripsi legit, ergo dabit« refero legendi actionem ad ipsum temporis momentum loquendi i. e. usque ad hoc temporis quo loquor, legit, si vero dico: »legerat«, non ad praesens tempus refero legendi actionem, sed ad praeteritum, ad actionem aliquam quae in medio sita est inter praesens tempus loquendi et actionem legendi. Quam satis credo indicavit poeta verbis: »rescripsit

nil«, nam ut scribendi est aliqua actio positiva sic cogitatur aliqua actio negativa »non scribendi«, quae ut ita dicam est actio tacendi, quia cogitatur non omne spatium temporis per quod nihil rescripsit sed certus aliquis temporis finis in quo aut rescribi debuit aut non rescribi. Quod quum ita sit pronuntiare licuit etiam aliquid ut factum ante actionem »non scribendi«, id quod significavit poëta plusq.[to] Alterum exemplum quod attuli est (III 4, 8.) »Quando venit? dicet tu respondeto: Poeta exierat, veniet cum citharoedus erit.«

Etiam h. l. sine dubio perf. log. »exiit« poni licuit illi qui exeundi actionem velit referre ad loquendi tempus, quod fieri potest quia Roma exeundo effectum est ut a Roma absit. Sed quod fieri potest ideo non necesse est fiat, nam licet quoque nullam effectus qui in praesens durat rationem habere sed referre exeundi actionem ad praeteritum aliquod factum quod eam secutum est, quod quid sit hic quidem ex sensu totius loci et ex addita voce »poeta« facile intelligitur, is enim qui poeta exierat, desiit deinde esse poeta; ad hanc igitur statim factam commutationem, non ad praesens loquendi tempus refertur exeundi notio et eam ob causam poeta plsq.[to] usus est, non perf.[to] logico. Simul satis plane ex his evadere mihi videtur saepe in iudicio esse positum scriptoris velitne ponere plsq. an perf. quum saepe verba quae proprie singularem aliquam notionem significant eo quod semper status aliquis ex ea sequitur assumere possint notionem status huius actionem sequentis. Itaque nullam haberet offensionem si Mart. (IX 80) scripsisset: »duxit esuriens e. qu. sq.«, nam, quoniam qui duxit mulierem ea re eius maritus fit, »ducere« vb. usurpari licet pro »existere maritum« notione. Iterum vero sejungi quoque possunt hae notiones ita ut »ducere« significet tantum actionem, qua peracta aliquis existit maritus alicuius mulieris. Itaque quum non ipsa ducendi actione Gellius uxorem pascat et futuat sed eo quod ducendo factum est ut mariti fungatur officiis, suo iure egit poeta quum retulit verbum ducendi ad hoc praeteritum non ad loquendi tempus. Venio iam ad plsq.[ta] »feceram, dixeram, fueram« quae supra seiunxi a ceteris non quod alia sit interpretandi ratio, sed quod in iis quae in ceteris exceptio fuerit lex fere esse videtur. Exempla vero sunt haec: I 47, 2. Quod vispillo facit, fecerat et medicus. I 107. Otia da nobis sed qualia fecerat olim Maecenas Flacco e. q. s.« XI 39, 12. Exclamas »nunquam fecerat ista pater«. I 27, 1. Hesterna tibi nocte dixeramus. II 41, 2. Pelignus puto dixerat poeta, sed non dixerat omnibus puellis. V 52, 4. Protinus exclamat: dixe-

rat ipse mihi. IX 82. dixerat astrologus periturum te cito. XI 71. Hystericam vetulo se dixerat esse marito. I 30, 1. Chirurgus fuerat, nunc est vispillo Diaulus. II 83, 2. Se qui fuerant requirunt trunci naribus auribusque vultus. III 52, 1. Empta domus fuerat tibi Tongiliane ducenis, abstulit hanc casus. III 70, 2. Rivalis fuerat qui tuus ille vir est. V 23, 1. Herbarum fueras indutus Bassa colores, iura theatralis dum siluere loci. VII 57, 2. Pyxagathos fuerat, nunc erit Hyppodamus. VIII 3, 1. Quinque satis f. VIII 16, 1. Pistor qui fueras diu Cypere, causas nunc agis. VIII 74, 1. Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante. XI 5, 2: Tanta est tibi reverentia — quanta Numae fuerat. XI 37, 3: Annulus iste tuus fuerat modo crinibus aptus. XI 39, 1: Cunarum fueras motor. XI 91, 9: Si tam praecipiti fuerant ventura volatu debuerant alia fata venire via. XII 60, 4: Qui fueras Latia cultus in urbe mihi. ep. lib. 28, 1: Augusti labor hic fuerat committere classes. Xn. 46, 1: vilia maternis fueramus praecoqua ramis.« Ubique refertur plsq. ad tempus aliquod praeteritum, remotum a praesenti loquendi tempore ut necesse nobis sit, aliquid cogitando addere ut loco hoc: (XI 39, 12:) »Exclamas; nunquam fecerat ista pater;« scilicet donec vivus erat, sed est mortuus. Sic verbis »chirurgus fuerat« efficitur ut statim cogitemus de tempore aliquo remoto quo chirurgus erat, quod non usque ad praesens duraverit sed in temporis momento aliquo iam praeterito finem fuerit assecutum. Itaque si dico »fuerat medicus« sequitur statim eum de quo loquor non usque ad hoc temporis momentum quo loquor fuisse medicum sed iam hunc esse desiisse. Simul ex his sequitur quo factum sit ut Mart. hanc potissimum loquendi rationem ex tribus tam saepe elegerit, nam quum his tribus loquendi modis uti aliquis possit: »eras medicus, nunc es vispillo;« »fuisti med. nunc es visp.;« »fueras med. nunc es visp.;« ultima sola virtutes — ut ita dicam — ceterarum duarum in se colligit, quoniam ea solum efficitur ut aliquid et ut praeterito finitum conclusumque contemplemur — (quod etiam fit perf.[io] logico—) et simul exspectatio excitetur, esse aliquid quod sequatur quum plsq. aeque atque impf. sit tempus relativum quod suspensum facit animum. desiderans semper aliquid supplementi. Quibus accidit ut sentiamus cohaerere praeteritum cum praesenti tempore et uno quasi obtutu spectemus coniunctum praeteritum cum praesenti statu. Restat ne quem usum plsq.[ri] qui ap. Mart. occurrit prorsus neglexisse videar ut eos locos enumerem ubi more latinorum posuit poeta plsq, indicativi, nos vero coniunctivo

utimur.[1]) Loci vero sunt hi: V 67: discerpi noxia mater debuerat, sed tum, cum laceravit Ityn. XI 91: Si tam praecipiti fuerant ventura volatu debuerant alia fata venire via. — I 114, 5: Ad Stygias aequum fuerat pater isset ad umbras. II 64: Et fuerat serum iam tibi desinere. — I 42: Credideram fatis hoc docuisse patrem. — 1 21, 8: Si non errasset fecerat illa minus. VIII 32: Luserat hoc casus nisi inobservata maneret permissaque sibi nollet abire fuga; IX 41: omnia perdiderant si mandassent. XII 35. Sed tecum pariter simulque visam durus Sulpiciam Phaon amarat. Xn. 22: Sis denique nasus quantam noluerat ferre rogatus Atlas.«. Hic vero usus indicativi quam in plsq.[to] crebrior multo ap. Mart. occurrit in impf.[to], praesertim hisce in locutionibus: »dignus erat« et »poterat.« Eiusmodi sunt loci I 3, 12: I fuge sed poteras tutior esse domi«. I 101, 8: »Munere dignus erat convaluisse meo.« II 30, 2: »Quae vel donanti non grave munus erat.« Impf. verbi »posse« hoc modo adhibitum est his ll. ep. l. 15 v. 8. I 12, 12; 30, 2; 74, 1; II 1, 1; 35, 2; II 43, 13; III 53 v. 1, 5. IV 27, 4; V 74, 4; VII 8, 5; 10, 15; 24, 5; 51, 9. VIII 21, 5; 46, 5; 56, 16. IX 28, 7. X 20, 6; 73, 7; 89, 6; XI 3, 7; 24, 4. Ap. 66; 177; 180. — »dignus erat« II 2, 4. V 61, 11. VIII 28, 10. IX 2, 14; 71, 10. Reliqua eiusmodi dicta sunt haec: »vilis eras« IX 99, 7. »decebat« Xn. 64. »Quantum erat « II 46, 9. — »iam lassa libellum ponebas tantum nunc studiosa leges« III 68, 11; — »Tempus erat iam te Sosibiane legi« IV 33, 4; — »Non esset Pollux si tibi Castor eras« V 38, 6. — »Quod nisi rapta foret nolenti poena parabat saevior in lassos ire sinistra focos« VIII 30, 7. —

---

[1]) cf. Zumpt. lat. gr. § 518, 519. Reisig. schol. lat. § 297.

Pars IV.

Quum nemo quantum equidem sciam de arte metrica Martialis scripserit praeter N. E. Lemaire in editione sua Parisiana I p. XII: »de metris Martialis« isque nihil fecerit nisi quod vulgatissima quaeque notissimaque puerili quodam modo nec sine erroribus docuerit, Lachmannus vero qui in praefatione sua editionis Babrianae p. XII comparavit Mart. versus choliambicos cum Babrii strictim tantum egerit operae habui pretium nonnulla in ea re quaerere. Sunt vero tria potissimum metra quibus in pangendis suis carminibus usus est Mart. metr. choliambicum, phalaecicum, elegiacum, e quibus haec duo tam saepe adhibuit ut ipse se fateatur notum esse gentibus undenis pedibusque syllabisque (X 9.) Nec tamen non saepe usus est choliambis quorum apud eum quae sit natura potissimum quaesivi. Meri choliambi forma est haec: ⏑—⏑—⏑—⏑— —⏑— —⏓, quae occurrit: I ep. 96. v. 10: »rogabit unde suspicer virum mollem,« quae tamen versus forma satis raro ap. Mart. invenitur, quippe quum praeter hunc tredecim tantum versus eam servaverint. (I 96, 4. II 57, 6. III 30, 3; 41, 2; 58, 4. IV 31, 3, 4. V 41, 6. VI 39, 8. VII 20, 18, 22. VIII 61, 8. X 30, 4.). Catullus qui omnino quantum ex paucis eius carminibus potest cognosci puriores multo scripsit choliambos saepius quoque pro multitudine versuum finxit choliambos formam secutos propriam ut VIII 1: »miser Catulle desinas ineptire.« Sic octo praeter hunc locis: VIII 12; VIII 6; XXII 2; XXXVII 1; XXIX 2, 4, 6. XLIV 6. Forma usitatissima versus choliambici et apud Graecos et ap. Latinos tali modo se habet ut primam et tertiam sedem occupet spondeus: — —⏑— — —⏑—⏑— — —; cf. v. 1: »Nosses iocosae dulce cum sacrum Florae,« — aut ut primam habeat spondeus, tertiam iambus, aut iambus primam, spondeus tertiam. Quo tamen Graeci a Martialis Latinorumque ratione fingendi choliambos distant est quod Mart. ceteri Latini nunquam in quinta sede spondeum admiserunt, sed semper purum iambum in ea sede posuerunt li-

cet Graeci et ipse Babrius quem proxime ad Martialis artem accedere Lachm. demonstravit a quinta sede spondeum non porsus prohibuerint, quamvis Babrius non nisi in vocibus polysyllabis. Si vero Schneidew. in editione sua utraque spondeum admisit in sede secunda hoc ut probemus nisi gravissimis causis adduci non poterimus. Est vero locos de quo agitur IX 33: Audieris in quo Flacce balneo plausum, Matronis illic esse mentulam scito.

Offensio inest in voce »matronis« quam Schneidew. quidem ex auctoritate optimi codicis Thuanei edidit, ceteri vero codd. vario modo exhibent, nam et »Maronis« legitur et »Marionis« et »Morionis« et »Mathonis.« Hanc quam postremo loco commemoravi scripturam habet margo Gryphii eamque equidem potissimum sim secutus, nam et notae illae marginales maximam habent fidem, quarum praestantiam ipse Schneidew, prolegg. p. XXXVIII et laudavit et probavit; et nomen quod continet m. Gr. Martiali saepissime est usurpatum. cf. IV 77, 80. VI 33. VII 10; 90. VIII 42. IX 33. X 46. XI 69 — et denique lectio haec quam proxime ad optimi codicis scripturam accedit in qua nihil nisi lineola mutata haec prodit lectio. Quodsi vero sensum respicimus in utraque lectione eadem quidem obscoenitas, eaedem vero facetiae remanent, neque est fere discrimen nisi quod altera matronae irridentur, altera quod magis Martilalem sapit homo nominatim appellatus. Itaque quum nulla sensus necessitas, nullus codd. consensus nos cogat ut spondeum servemus, sed emendatio tam facilis praebeatur, Mart. vero nusquam alibi hoc in pede admiserit spondeum, removendum eum etiam hinc contenderim.[1]) Neque nitatur aliquis ad defendendam »matronis« lectionem versu — ut et hoc iam commemorem — qui exstat in libro III°. 64, 1, ubi quod satis mirum duco dactylus locum obtinet alterum: »Sirenas hilarem navigantium poenam,« nam nunquam licentia una altera poterit defendi. At dactylus qui in pede altero semel tantum ap. Mart. invenitur, admodum est frequens in sede prima et tertia. Sic. I 84, 2: Cum velit habere filios et invenit; I 89, 3: rides in aurem, quereris, arguis, ploras. Sed unus tantum est versus qui et in prima et in tertia sede habet dactylum V 37, 5: Nec modo politum pecudis Indicae dentem. Catullus non nisi

---

[1]) Si lib. II° 57, 8. dictum est: »vix octo nummis«, »octo« non est spondeus sed trocheus. Vd. Corssen: Ueber Vocalism. etc. der lat. Spr. I p. 343.

uno versu dactylum admisit in tertia sede LIX 3: »Vidistis ipso rapere de rogo cenam;« bis in prima 37, 5. 44, 20. Jam quod ad anapaestos attinet nemo negavit Mart. eos in initio posuisse versiculi, nam nimis multa exempla exstant quam ut dubitatio esse possit. Cf. I 66, »fieri poetam qui putas tanto«; in tertia vero sede Lachm. ut ipse profligavit exempla Babriana vult ea Martiali quoque ab aliis eripiantur. Atque Schneidew. quidem quantum potuit Lachm. est secutus, nam quum in priore editione tres edidisset versus anapaestum servantes non in initio versiculi, altera in editione duos sustulit anapaestos uno relicto, qui est in libro III° 93, 24: Sternatur a Coride archiclinico lectus.« Credo non sublatum a Schneidew. anapaestum quod est in nomine proprio, sed etiam altero loco servaverim anapaestum, qui est libri VIII' carm. 44 vers 8: »Curris per omnia tertiasque quintasque.« Sic enim optimorum omnium codd. est lectio, quum recentiores iique deteriores anapaestum puto fugientes ut vitium metricum exhibuerint »curris per omnes.« Tertio loco III 58, 39 merito credo anap. esse sublatum quum neque sit in tertia sede sed in quarta et versus vel ab optimis mss. sanus non sit servatus. Tertiam autem sedem in choliambis Valerianis anapaestum continere non esse vetitum iam ea de causa non dubitaverim quod etiam in iambicis versibus Mart. tertia in sede semel I 49, 42: »Cum fama quod satis est habet,« quinta vero quater occurrit: I 49, 29, 33, 41. XI 59, I. Ne a Catulli quidem choliambis prorsus excludi debere anap. crediderim aut certe commemorari codd. D. et L. (C. Dati et Laur. Santenii,) carmine in XXXI° versu 13. anapaestum praebere: »Gaudete vos quoque Lydiae lacus undae,« quem Itali sustulerunt scribentes »vosque« vel: »vos o.« Lachm. vero »vosque o.« Sed haud scio an recte codd. D. L. lectio restituatur, nam id nihil impedit quod unus ap. Catullum huiusmodi est versus, nam et dactylus semel tantum in tertio pede occurrit et tribrachys quem omnino inveniri in Catulli choliambis negavit Lachm. semel secunda sede locum tenet 22, 19.[1]) »Quem non in aliqua re videre Suffenum.« Id nihil ominus constat, perraro tertio in pede occurrere anapaestum quum ap. Mart. prima in sede plurimus sit, interdum ita etiam positus ut in tertia sede sequatur dactylus, Cf. I 66, 13. II 57, 2. IV 17, 2. 37, 18. IX 6, 1, 3. XI 98, 22. Restat ut de tribracho agamus qui ap. Mart. praeter iambum et spondaeum frequentissimus metri choliambici est pes, quum

[1]) Hic versus fugit Lachmannum nam ipse nihil in eo mutavit.

in universum fere octavus quisque versus contineat tribrachyn, undecimus vero quisque tribrachyn in loco secundo, nam hoc in pede multo est frequentissimus quamvis in quattuor prioribus pedibus occurrat. Cuius rei exempla sint haec: I 66, 9. Mutare dominum non potest liber notus. V 37, 1. Sexta peregit hieme, nec tamen tota. Sic praeter hunc versum etiam I 96, 7, 8. III 58, 32. 93, 20. V 51, 6. XI 80, 6, XII 81, 2. XII 87, 4. Nec frequentior quarta sede tribrachys occurrit. III 58, 7. »Et multa fragrat testa senibus auctumnis.« Sic quoque h. ll. I 84, 3, 4. III 58, 32, 41. V 35, 4. VII 26, 3. XII 32, 13. 51, 2. Primo in pede bis tantum invenitur. III 93, 12. »et anatis habeas« et epigr. libro primo praemisso v. 4. »an ideo tantum.« Tribrachys cum tribr. ter coniunctus est III 93, 12. I° et II° in pede, V 51, 6. II° et III°, III 58, 32. III° et IV° in pede. Cum dactylo coniunctus tribrachys interdum occurrit. Vd. III 58, 29. »Exercet hilares facilis hortus urbanos. Sic etiam h. ll. V 41, 7. VII 7, 7. IX 1, 1. 98, 2. XII 57, 28. et ita ut dactylus sit primo in pede: III 93, 7. IV 37, 5, 7. Cum anapaesto quater tribr. est coniunctus I 89, 5. »Adeoque penitus« III 58, 3. 93, 22. V 18, 2, 3. Tribr. in tertia cum anap. in prima sede semel invenitur I 96, 7, »Amethystinasque mulierum vocat vestes.« Bis primo loco anap., altero tribr., tertio dactylus est positus, VII 20, 1. Nihil est miserius neque gulosius Santra. X 100, 4. Aquilisque similis facere noctuas quaeris.« Denique quod attinet ad caesuras, dicendum est easdem plane esse ac trimetri iambici — penthemimerem et hephthemim. — sed prior adeo Martiali dilectior est ut nonnullis tantum paucis versibus desit, quum Hephthem. aeque frequenter et desit et adsit. Penthem. vero quum persaepe simul admittat caesuram post tertium pedem i. e. vox monosyllaba sequatur penthem. raro ante eam antecedit vox monosyll. et non fere nisi ubi et hanc antecedens est vox monosyl., ita ut duae voces monosyl. caesuram penthem. praecedant. Cf. V 37, 20.« Deflere non te vernulae.« Praeter hunc h. ll. III 93, 17. V 4, 2. 54, 2. VI 39, 14. IX 6. 9. X 74, 9. XI 98, 1. XII 65, 8. Semel vel tres voces monosyl. ante penthem. locum habent. I 96, 14. et item semel quattuor. XII 57, 21. licet hoc loco tantum per elisionem vocalis, sequente voce »est«: »Et rus in urbe est.« Contra unam vocem monosyl. ante penthem. ter tantum inveni. IV 61, 3. V 54, 2. XI 100, 6. Si tertius pes dactylus est, plerumque utraque caesura est adhibita, nonnullis vero locis duae breves syllabae quae arsin pedis tertii continent aut per se vocem faciunt, ut III 22, 5. IV 61, 1, 11. VII 20, 1. V 27, 14, aut initium

ducunt vocis quinque vel quattuor syllabarum ut III 58, 15. VI 39, 4, 5. IX 1, 1. XI 98, 22. Bis tres tertii pedis syllabae tribus continentur vocibus II 17, 5. »Non tondet inquam. Quid igitur.« VII 7, 7. Illic et oculis et animis.« Duobus illis locis quibus tertio loco anapaestum esse dixi. III 93, 24. VIII 44, 8. penthem. sola locum habet post duas breves syll. thesin efficientes. Tertiam sedem si tribrachys occupat et penthem. sola est caesura, eam semper sequitur vox quattuor syllabarum. I 96, 7. V 51, 6. XII 81, 2. Utraque caesura si uno versu coniunctae occurrunt aeque fere frequenter et vox trisyllaba et biss. et monoss. post caesuram posteriorem inveniuntur, tantum si pes tertius dactylus est Mart. praetulit caesuram sequi iubere vocem monos. vel triss., duarum vero syllabarum vocem his modo locis posuit. III 20, 17. 58, 29. IX 6, 7, 8. XII 57, 28. Ubique fere ubi hephthem. sequitur vox monos. duae voces deinde veniunt biss., interdum vero etiam vox quattuor syllabarum. Cf. I 84, 5, »Pater familiae verus est Quirinalis« al. ll. Bis caesuram hepthem. tres voces monoss. sequuntur. I 66, 10. VI 39, 18. Interdum etiam vox quinque syllabarum hephthem. sequitur. Cf. I 96, 5. »Et baeticatus atque leucophaeatus«, praeterea h. ll. II 57, 4. III 20, 3, 11. III 82, 23. V 26, 1 X 3, 2. 62, 10. 74, 1. XI 98, 1, 16. Vox quattuor syllabarum nusquam post hepthem. locum habet nisi uno loco quo quartus pes tribrachys est, ita ut nihilominus ultimo loco vox monosyllaba non sit. I 84, 4. »Domumque et agros implet equitibus vernis«. Ceteris locis quibus tribr. quartam habet sedem vox trissyllaba hephthem. sequitur praeter unum locum XII 51, 2. »Miraris Aule semper homo bonus tiro est.« Sunt etiam versus aliquot quibus penthem. deest et sola hephthem. locum tenet. Omnibus vero his locis si unum excipis (VI 74, 4.) hepthemimeri coniuncta est caesura post primam dipodiam ut IV 37, 4. »ex insulis fundisque triciens soldum« Cf. I 77 v. 1 — 5. III 93, 20. IV 61, 4. V 14, 8. 37, 13, 24. VIII 44, 3. XII 13, 2. 32, 11. Unus versus qui huic legi repugnat (VI 74, 4.) est hic: »Mentitur Aesculane, non habet dentes«. Praeterea commemorandum est ab ultimo versus choliambici loco vocem monoss. prohiberi, nam »est« vox, quam ita positam invenies, tam arcte cum antecedenti cohaeret ut etiamsi non vocalis antecedit[1]) nihilominus seiungi a praecedenti nequeat et cum illa quasi unam efficiat vocem.

---

[1]) Cf. XI 61, 9. res acta est, XII 51, 2, tiro est, Lachm. in T. Lucr. Car. Comment. pp. 66, 67.

Cf. IX 6, 3. »populos habebunt, parere iam scelus non est«. I 10, 3. »Adeone pulchra est? imo foedius nil est.« — Accedo iam ad alterum metrum quo praecipue usus est Mart., phaleucium, quod multo est simplicius priore cuius forma a qua nusquam recessit poeta haec est: — — — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏓. Vd. I 1, 1. »Hic est quem legis, ille quem requiris.« Discrimen vero quo Mart. versus Phal. discernuntur a Graecorum et Catulli est quod ille semper in initio versus posuit spondeum, Catullus vero ex more Graecorum priores duas syllabas pro basi habuit atque hac de causa et trochaeum posuit et iambum. Trocheo vero usus est hisce ll. I 2 arido. I 8. quare 1, 9. quale. 3, 7. ipsa. 27, 4. ebriosa. 28, 5. vappa, 32, 6 neu tibi, 36, 6. scripta. 36, 15 quaeque. 38, 3 et magis. 38, 8. maestius, 40, 1 Ameana 41, 2. tota, 41, 3 ista, 42, 4 et negas, 42, 6 persequamur. 42, 11, 19. moecha. 42, 12, 20. redde. 42, 17 ferreo. 45, 7. Caesio, 45, 21 mutuis, 47, 6. de die, 49, 3. quotque 49, 4 gratias 54, 6 immerentibus. Jambus occurrit his ll. 1, 4 meas. 2, 2 et acris. 3, 17 tua, 7, 2 tuae, 12, 9 disertus, 27, 1 minister, 32, 1 amabo, 32, 2 meae, 35, 1 poetae, 35, 2 velim, 35, 6 amici. 35, 9. euntem, 36, 9 et hoc, 36, 14. colis, 38, 1, 2. malest, 40, 2, 49, 5.agit, 40, 5. an ut, 40, 7. eris, 41, 5 propinqui, 41, 6. amicus, 42, 1. adeste. 42, 25. pudica 45, 2. tenens, 45, 10. At Acme, 45, 25. facit, 48, 4. nec unquam. 49, 1, disertissime, 53, 3. meus 54, 4 tibi.

Sed et anapaestum semel admisit 51, 2. »Et heri« et tribrachyn 55, 16. »Camerium« et pyrrhichium 40, 3. »quis deus« et unam syllabam longam 18, 11. »me me puer et sitire discet.« Alterum discrimem quod intercedit inter Catulli versus Phal. et Martialis est quod Catull. in carmine 55°, quindecim fecit versus in quibus pro dactylo pede altero posuit spondeum, qua licentia nunquam usus est Mart.[1]) Neque Mart. versum unquam finxit qualem Catullus hunc (40, 1.) »quaenam te mala mens miselle Ravide — agit« ut ultima syllaba prioris versiculi in sequentem debeat traduci.

Reliqua metra quibus usus est Mart. sunt haec: 1) metr. iambicum bicolon, constans e senariis coniunctis cum dimetris, Vd. carmina haec I 49. III 14. IX 77. XI 59.

---

[1]) Nam si codd. minus probati (V 20, 11.) lectionem habent: »nunc vivit neuter sibi« optimi mss. (X. A. B. C.) lectionem praebent aperte corruptam: »necut eius ibo«. unde emendavit Schneidew. »nec uter sibi« quam emendationem pro vera acceperim. Cf. Lachm. in T. Lucr. Car. de rer. n. l. comment. p. 314.

2) Meros versus iambicos senarios adhibuit bis VI 12. XI 77. 3) Choliambos coniunxit cum versibus iambicis dimetris semel I 61. — 4) Semel quoque usus est versibus sotadeis, qui constant Jonico a maj. tetrametro brachycatalecto. — — ◡ ◡ — — ◡ ◡ — ◡ — ◡ ⏑̄ —. III 29. 5) Meri hexametri dactylici occurrunt bis: I 53, VI 64. — 6) Metr. elegiacum frequentissimum est ap. Mart. In hoc quum quaesierim an in tertià pentametri arsi brevem syllabam admiserit inveni eam licentiam non esse adhibitam nisi bis, ubi verbi forma desinat in »t« literam: IX 101, 4. Disce Libyn domuit, aurea poma tulit. XIV 77, 2. »Lesbia plorabat, hic habitare potest.[1]) Haec tamen duo exempla brevis in tertia pentametri arsi syllabae sola esse Martialis contenderim, nam quem praeterea afferas locum ep. lib. 28 v. 10: »dives Caesarea praestitit unda tibi«, plane huc non spectat sed alia iterum nititur licentia quae saepius est adhibita a Mart. nempe ut consonantes duae, quae vocem incipiunt novam, syllabam antecedentem natura brevem positione reddant longam. Cf. II 66, 8. ut digna speculo fiat imago tua. V 69, 3. Quid gladium demens Romana stringis in ora. Catull. carm. 44, 18. »nec deprecor iam si nefaria scripta« al. ll. Neque valent aliquid ad labefactandam sententiam nostram, Martialem non nisi in verbis desinentibus in »t« litteram admisisse licentiam de qua agimus, versus duo qui in iis carminibus leguntur quae Mart. sint an non sint dubitatur, quae Schneidew. sub titulo »suppositicia« in fine editionis suae posuit. 13. v. 12: »Sed ne sit servus aurea bulla facit«. 14, 4. »colligit ulterior ulteriore gradus«. Id potius iis versiculis demonstratur, carmina re vera Martialis non esse.

---

[1]) Hoc loco unus isque ex recentissimis codd. — Hanoveranus — habet »ploravit«, et Gruterus nullo adiutus libro, tantum id agens ut brevem tolleret syllabam, scribendum censuit »plorabas«. Immerito uterque.

Pars V.

VIII 16: Pistor qui fueras diu Cypere
causas nunc agis et ducena quaeris
sed consumis et usque mutuaris.
A pistore Cypere non recedis
et panem facis et facis farinam.

Epigr. facile quod vertas nullam fere interpretibus dedit ansam disserendi nisi quod in locutione »farinam facere« haeserunt, cuius tamen interpretatio et in lexico Forcell. s. v. »farina« et a Schmiedero in comment. suo ad h. l. iam est prolata quae una verbis quae exstant apta esse potest. Praeter cetera vero Schmied. haec dicit; »Quum Ciperus consumtis quae forte lucratus fuerat usque mutuari cogeretur a pistore non recedere videbatur i. e. eadem facere causidicus quae pistor fecerat; pistor enim quum e frumento fecisset farinam deinde panem nunc causis agendis panem facit i. e. victum parat, sed etiam facit farinam i. e. parta dissolvit et quasi in farinam et pulverem minuit.« Dicitur igitur »facere farinam« proprie de eo qui frumentum in partes redigit quam maxime minutas i. e. in pulverem, translate vero dicitur de eo qui rem quamlibet in partes quam maxime minutas vel in pulverem digerit. At simul Schmied. unus quod sciam interpretum hoc in epigr. offensionem cepit qui verbis prolatis a me haec addidit: »Hoc mihi epigr. corruptum et sedes vitii in versiculo tertio esse videtur. Neque consumis et ducena quae Cyperus non habebat iungere licet; neque consumere sic absoluto ponitur. Exciderunt fortasse pauca quibus Ciperus quae acceperat sine mora conterere et decoquere narrabatur,« Quae tamen Schmiederi opinio minime mihi placet, quippe qui non omissum aliquid imo additum hoc in epigrammate contenderim. Sed priusquam ad eam rem accedam opus erit pauca de natura hujus epigr. quaerere. Et id statim apparet, genus esse facetiarum notum illud ut ex rebus duabus dissimilibus eliciatur aliqua inexspectata similitudo. Sic in epigr[o] huic simillimo libri I[1] 47: »nuper erat medicus, nunc est vispillo Diaulus, quod vispillo fa-

cit, fecerat et medicus,« res dissimiles sibi sunt: medicus et vispillo, et, similitudo quae elicitur est quod uterque idem facit nempe homines necat si vera est Lessingii de vispillone sententia,[1]) aut quod vel magis mihi placet uterque homines mittit sub terram. Similis argumenti est etiam epigr. XXX aiusdem libri:

»Chirurgus fuerat nunc est vispillo Diaulus
coepit quo poterat clinicus esse modo.«

Videamus igitur quae hoc in epigr.[to] de quo agimus sint res dissimiles quae componuntur. Quod item fore ut facillime appareat persuasum mihi habeo, nam ut in epigr. modo laudato dictum erat: »chirurgus fuerat« sic in hoc: »pistor qui fueras,« ut in illo: »nunc est vispillo,« sic in hoc: »causas nunc agis.« Res igitur impares et dissimiles quae hic comparantur sunt pistor et causidicus. Ex his igitur ut eliciatur similitudo necesse est. Sed in quoque epigr.[to] cum duae sint partes, altera quae est expositio, altera — ut ita dicam conclusio, in qua fit iocus, in utraque membrum respondeat membro necesse est, in neutra sit aliquid, quod non spectet ad alteram, neque in conclusione quod non sequatur ex expositione, neque in expositione quod nihil afferat ad conclusionem. Omnino nihil esse debet supervacui, nihil quod demere possis. Quod non dico ut mea ex opinione, sed quod ipse testatur Martialis (II, 77) haec proferens:

»Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis
sed tu Casconi disticha longa facis.«

Videamus igitur quo modo hoc in epigr.[to] membrum respondeat membro; atque verbis: »Pistor qui fueras« respondet: »a pistore non recedis,« verbis: ducena quaeris« respondet: »panem facis,« verbis: »sed consumis« verba »facis farinam.« Sed quid quaeso respondet illis: »causas nunc agis«? Nonne ponere possum causidici loco medicum et idem remanet epigramma? Nonne sutorem vel quemlibet hominem cuiuslibet generis et idem remanet epigramma? Sunt ergo haec verba quae nihil rei conferant, sunt quae demere possis. At tamen antea demonstravi gravem expositionis partem iis in verbis inesse debere, nempe alteram rerum dissimilium quae comparantur. Necesse igitur erat huic gravi expositionis membro grave responderet membrum couclusionis. Aperte igitur vitiosum est epigr. neque tamen haec unica est offensio, sed ut praeteream quae notavit Schmiederus, in voce quoque »mutuaris« offendor. Nam bonus ille interpolator qui hunc versum

---

[1]) Vd. Lessing: Verm. Schriften, vol. 8. p. 502.

Martiali de suo adsuit plus fecit quam pro re, nam quum is qui rem suam consumit, iam faciat farinam, ille qui praeterea et insuper mutuatur plus facit quam farinam, aut etiam minus, nam non est opus ut id quod sit mutuatus statim etiam consumat. Huc accedit quod omnino tota claudicat comparatio vel prorsus est falsa, nam qui a pistore non recedere dicatur facta farina debet facere panem non vero invertere rem et pane facto facere farinam, id quod nemo fecit pistorum, nec unquam faciet. His igitur ut medeamur incommodis viam qua sit ingrediendum iam supra indicavi; sublato enim versu tertio simul omnes diffugiunt difficultates. Statim enim duae illae tolluntur offensiones quae insunt in verbis: »consumis« et: »mutuaris,« simul vero et tertia, nam membra tum membris accurate respondeat. Illi enim: »pistor qui fueras« respondet »a pistore non recedis,» illi: »ducena quaeris« respondet: »panem facis,« verbis denique »causas nunc agis« verba respondent: »facis farinam.« Nam optime causidicum dici posse mihi videtur »facere farinam« quippe qui rem aliquam loquendo et disserendo in partes quam maxime minutas, vel in pulverem redigit, id quod Aristophanes (nub. v. 319) eadem imagine usus indicavit verbo: »λεπτολογεῖν«. Simul quoque vere et apte comparatur pistori Cyperus quum non ex pane dicatur facere farinam, sed ut pistor verus ex facta farina facere panem.

Lib. IV ep. 58. In tenebris luges amissum Galla maritum
iam plorare pudet te puto Galla virum.

Hoc epigr. aut Martialis non esse aut si Martialis est corruptum esse persuasum semper habui. Cui sententiae me adduxit non tam mira lectionis varietas, quae inest in voce prima versus alterius — ubi »iam« »non« »nec« »num« legitur, »iam« vero in optimo codice Thuaneo et in cod. Vossiano (C.) — quam quod nemini interpretum me quidem iudice contigit probabilem sensum elicere, nedum facetum esse epigr. demonstrare. Nam ut initium fiat ab opinione valde absurda, Musamberti proferam, qui »non« legendum arbitratus, hoc modo interpretatur: »vel: puto Galla non pudet te quasi turpe sit plorare virum, sed puto te non plorare in tenebris et secessu.« Haec magis quam Martialis verba luce carent et novo opus habent interprete me quidem sagaciore. Nec intelligere me posse confiteor cur matronis Romanis turpe fuerit, vel quasi turpe maritum lugere. Quod vero pergit, Musam-

bertus: »vel: Galla puto non plorare te virum quod quia turpe est ploras in tenebris, si enim plorares tenebras non sectarere« id vel maxime contra omnem humanum sensum et Mart. iudicium est I 33. v. 4 dicentis: »ille dolet vere qui sine teste dolet.« Neque feliciorem duco Gruteri interpretationem, qui aeque »non« legens: »vides,« inquit, »plorandum esse ob mortem eius, pudet tamen id facere aperte. Euge femina es animi plane virilis. Vir si plorat, plorat sine teste ut tu.« Heu interpretem argutum atque subtilem! At epigr, quod arguti adeo et subtilis eget interpretis, ipsum iam nec argutum est nec subtile. Ceterum persuasissimum mihi est, non honoris causa Gallam esse memoratam, sed ut illudatur atque irrideatur. Minus aliquanto absurda Schmiederi est interpretatio qui »nam« scripturam tenens haec profert: »Quum viro mortuo in sinu gauderet, pudebat Gallam plorare quod omnes eam homines bona fide facere non posse scrirent. Subindicat poeta dolorem qui consulto in tenebris et solitudine absconďatur fictum esse et simulatum.« Sed si vera haec sunt quis tum lusus, quid epigrammatis acumen? Quae denique gaudii causa? Et si iusta ea quid causae cur non sine ignominia fateatur se non lugere? At missos iam faciamus interpretes, ipsum spectemus epigr. quale a Schneidew. est constitutum, qui »iam« vocem suo restituit loco. Atque id quidem statim apparet oppositas esse sibi voces »lugere« et »plorare:« notiones in secreto et palam tristitiam prodendi. Sed ea re non video quid iuvemur; quid enim fuit causae cur deberet pudere Gallam plorare maritum? Credamusne Musamberto matronis Ramanis id turpe fuisse? An Galla adeo male fuit tractata a viro ut risum movisset si eum plorasset? An ipsa maritum fefellit incesta et adultera vita? An qua denique de causa turpe ei erat plorare? At fortc voce »iam« recta via nobis indicatur, nam si iam pudere debet Gallam plorare virum, priore tempore sine ignominia ploravit. Aut igitur hunc virum iam nimis diu ploravit — quod non credendum — aut adeo saepe viros ploravit ut iam pudere eam debeat iterum maritum plorare — quod omnes sciant fore ut mox se consoletur. Tum igitur talis mulier deridetur qualis a Petronio descripta est matrona illa Ephesia quae ex luctu admirabili prioris viri relaxatur amplexu alterius.[1]) Et ita sine dubio res se habet. Neque tamen dubito contendere epigr. aut omnino Martialis non esse aut integrum nobis non esse traditum. Vitio enim laborat haud exiguo,

---

[1]) Vd. Pétr. Ar. sat. rel. ex rec. Fr. Buecheleri c. 111. 112.

contrario vero illi quod carmine supra tractato (VIII 16) notavi. Illo enim in epigr[te] expositio quum plures contineret res quam ad conclusionem conferrent, hoc pauciores continet quam quae flagitentur. Nam illud quod Galla plures iam habuit maritos non concludere debemus sed scire. Haec enim est series cogitationum: Galla plures habuit viros quos admodum ploravit omnes, nunc iterum virum amisit et luget in tenebris. Qua de re id factum est? Ideo quod pudet eam plorare virum quum omnes iam sciant se mox esse sese consolaturam. Neque est quin cognoscatur quam similiter peccent hoc epigr. et Kleistii nostri a Lessingio vituperatum[1]) hoc:

»Du musst o kleiner Lykon dein Aug Agathen leihn,
blind wirst du dann Cupido, die Schwester Venus sein.

ubi nisi lemma apposueris: »An zwei sehr schöne, aber einäugige Geschwister.« concludas necesse est, quod scire debes. Quod vitium quam alienum a Mart. sit ipse testatus est Lessingius.[2]) Neque id quidem credi potest tempore Martialis planum fuisse, Gallam plures iam habuisse maritos, nam nomen illud fictum est, neque ita fictum est ut certa quaedam persona eo significetur, sed ita adhibitum ut pateat diversas personas easque fortasse ipsas fictas eo significari. Quod ut cognoscas vd. epp. II 25. III 45. III 90. III 38. II 34. III 51. VII 28. IX 4. IX 37. X 75; 95. V 84. Duobus tantum carminibus eadem persona a poeta sub hoc nomine irrideri videtur: VII 58. IX 78. — Quod quum ita sit apparet tempore poetae non per se intellectum esse Gallam iam plures habuisse viros. Itaque epigr. hoc aut Martiali non erit adscribendum aut medela erit quaerenda. Neque ad eam rem si animum advertimus non facile sedes corruptelae poterit perspici. Est vero in voce: »virum« Quae enim est causa cur repetatur eadem notio quae inest in voce »maritus«? Quae tandem ut repetita in gravissimo totius carminis ponatur loco? Nam gravissimi momenti ultima epigrammatis vox cum fere cujusvis tum in iis est, quae ex duobus tantum constant versibus. Cuius rei quippe ex na-

---

[1]) Lessing: Verm. Schriften. 8. p. 447.

[2]) Less. l. l. p. 448: »In dem ganzen Martial wüsste ich mich keines einzigen Epigramms zu erinnern, welches von der fehlerhaften Art wäre, dass es der Erläuterung eines Titels bedürfe« et paulo post: Jeder Umstand auch der allerkleinste, der zu dem Verstande des Epigramms nothwendig gehöret, ist bei ihm in dem Epigramme selbst enthalten: und wenn wir jetzt einen solchen ja darin zu vermissen glauben, so können wir nur gewiss versichert sein, dass er sich zu der Zeit des Dichters von selbst verstanden hat.«

tura rerum prodeuntis exempla afferre fere piget. Sunt vero haec libri I[1] epp. 32, 37, 38, 40, 46, 47, 50 alia innumerabilia. Loco vero vocis »virum« equidem posuerim lectionem »vicem.« Difficultas in ea lectione quae sola esse videtur, quod vicis significat mutationem ex ordine ac lege certa se conficientem, ut de anni temporibus Horat. dixit. od I 4: »Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,« tamen non tanta esse mihi videtur ut scriptura »vicem« ea de re rejiciatur. Nam vel ioci aliquid continet si quasi necessitate quadam naturae id effici poeta profitetur ut Galla certo quodam ordine modo viro nubat, modo virum sepeliat.